DISSERTATIO THEOLOGICA,

QVA

BARBARIEM MEDII AEVI, IN CONTEMPTV SCRIPTVRAE S. CONSPICVAM,

VETERIS ECCLESIAE RELIGIONI,

PARITER AC DIVINAE VOLVNTATI,

ADVERSAM,

PRAESIDE

IOHANNE GVILIELMO IANO,

S. THEOL. D. ET P. P. ALVMNORVMQVE

REGIO-ELECTORALIVM EPHORO,

A. D. IV. FEBR. A. R. G. CIↃ IↃCCCXXI

PVBLICE EXCVTIENDAM PROPONIT,

POTESTATEM PRIVATIM DOCENDI THEOLOGIAM

IMPETRATVRVS

BERNHARDVS WINCKLER,

LIB. ART. MAG. ET ORD. PHIL. ASSESSOR.

VITEMBERGAE PRELO CREVSIGIANO

BEKANNTMACHUNG

PRAEFATIO

On male iudicat Claudius Fleurius, (*a*) hodierno Galliae regi Ludouico XV a ſacris, certis quibusdam ſeculis proprium quaſi guſtum fuiſſe, per omnia illorum opera diffuſum. Ita quicquid ex ueteri Graecia nobis reſtat, ſolidum eſſe, dicit, elegans, et exquiſitum, ſiue ſpectes aedificia, ſiue ſtatuas, ſiue nummos, omnia ſcriptis Homeri, Sophoclis, Platonis, Demoſthenis, reſpondere: contra ea nihil ſimile reperiri in omnibus, quae de ſeculis caſum imperii ſecutis, ad nos peruenerunt. Tunc nimirum in pretio fuiſſe aedificia illa Gothica, minutis et inepte laborioſis artificiis deformata potius, quam ornata, quae nemo, artis peritus, ſine faſtidio intuetur: tunc compoſitas eſſe rudes illas fabulas Romanenſes, quarum ſpecimina extant apud Fauchetum, in Hiſtoria poeſeos, tunc floruiſſe ſcriptores illos ineptos, ac lutulentos, Ioinuille, Ville-Hardouin, eorumque ſimiles. Parimodo inter Theologos primas tenuiſſe doctores ſcholaſticos, Albertum, *Magni*, Scotum, *ſubtilis*, alios *Irrefragabilis*, *Illuminati*, *Seraphici*, *Reſoluti*; *Vniuerſalis*, et ſimilibus elogiis, quaſi propriis, cohoneſtatos, et admirabiles, (*b*) donec ſeculo XV. bonae literae, ſenſim paulatimque reſtitutae, barbariem, tota Europa regnan-

regnantem, dissiparint. Vtinam uero barbaries ista, et corruptus, quem uir doctus medio aeuo tribuit, gustus, intra aedificia Gothica, fabulasque Romanenses, aut alias artes profanas, se continuisset, et non ipsam quoque religionis sanctitatem uiolasset! Seculum illud, quo Sospitator noster optimus maximus coelestem doctrinam generi humano annunciauit, et per Apostolos suos annunciari iussit, a bonarum artium flore, omnisque elegantiae studio, *aureum* cognominari solet. Et sane religio quoque, eo tempore a Christo tradita, et in sacras literas relata, uere aurea, imo omni auro pretiosior est. (*c*) Sed prouti flos ille antiquus linguae Latinae et Graecae, pariter ac ceterarum artium liberalium, progressu temporis exaruit: ita etiam religionis puritas et integriras, posteriori aetate, labefactata est. Qui ueteris elegantiae Romanae uestigia ex antiquis lapidibus eruunt, intra eius fere temporis monumenta subsistunt, quae barbarorum incursiones in imperium Romanum antecesserunt: cum sequior aetas nihil in hoc genere admirandum, nihil usu, uel explicatu dignum offerat. Vnde non immerito eruditissimus ordinis Benedictini monachus, Bernhardus Montfaucon, in magno et laborioso opere, quo nuper antiquitates Romanas colligere et explicare aggressus est, tempora Imp. Theodosii iunioris industriae suae metam constituit, et huius columnam, Imp. Theodosii M. uictoriis dedicatam, nitori er elegantiae Ro-

manae

manae colophonem impoſuiſſe, affirmat. Similiter qui antiquae rei nummariae ſtudio ducuntur, in colligendis Imperatorum Romanorum nummis non facile ultra tempora Heraclii, quem ineunte ſeculo VII. imperaſſe, conſtat, progrediuntur, et in hac quoque periodo nummos imperii florentis, quod ab Auguſto, usque ad finem ſeculi III extenditur, ab iis, qui poſt caſum et prolapſionem imperii cuſi ſunt, tanquam politiores, diſtinguunt. (*d*) Eadem fere tempora religioni Chriſtianae ſecunda, uel aduerſa, fuerunt. Nam ut haec tribus prioribus a Chriſto nato ſeculis maxime floruit, ita poſtea iam nutare, ſeculo autem VII multo apertius ab antiqua fide atque integritate deficere, et barbariei ſitum contrahere coepit. Scilicet ex quo Bonifacius III, et conſequentes Pontifices Romani, uaticinium Gregorii M. anteceſſoris ſui, A. DCIV. defuncti, de praecurſore Anti-Chriſti, arrogata ſibi appellatione pariter ac poteſtate Epiſcopi Oecumenici, impleuerunt, (*e*) auctoritatis humanae praeiudicium magis magisque inualuit, et plerique ueritatem religionis Chriſtianae non iam Chriſti, ſed hominum, et inprimis affectati illius uicarii, decretis metiri aſſueuerunt: id quod omnis, quae religionem Chriſtianam contaminauit, barbariei ueriſſima origo, et praecipuum fundamentum eſt. Barbarum enim hoc loco uocamus illud, quod a regulis alicuius diſciplinae, uel artis, enormi ac ſenſibili plane modo, deflectit.

ctit. Talem regulam, eamque unicam et certiſſimam, religioni praeſtat Verbum Dei. Quanto fidei ac uitae cum eo conſenſio pulchrior, ac beatior, tanto deflexio ab eodem deterior atque exitioſior eſt. Itaque barbariem medii aeui, in rebus ad religionem ſpectantibus, cuius magna pars hodieque, proh dolor! remanet, penitius excuſſuri, a contemtu illo et neglectu Scripturae Sacrae primordium capiemus. Habebit diligentior illius barbariei, ex uero fonte ſuo deductae, conſideratio hoc commodi, ut id, quod in religione uere antiquum eſt, a barbaro et obſoleto, quod ſpeciem antiquitatis mentitur, tanto clarius cautiusque dignoſcatur. Nam qui religionem ex antiquiſſima ſacrarum literarum autoritate reſtitutam, prae ea, quam ab aliquot ſeculis per manus traditam acceperunt, ſolo nouitatis nomine, aſpernantur, et abrogatam cupiunt, idem mihi facere uidentur, ac ſi quis templum opere Corinthiaco, uel Romano, recens exſtructum, ueterisque elegantiae aemulum, nouitatis obtentu, diruendum ſtatueret, propterea quod operi Gothico *πατροπαραδότῳ* non reſpondeat. Talis erat illa Cottae, apud Ciceronem (*f*) pertinacia, ex ea opinione, quam a maioribus accepiſſet, de cultu deorum immortalium, ſe ullius oratione, aut docti, aut indocti, motum iri, negantis. At meminiſſe decebat, non omne antiquum, ſed antiquiſſimum quodque, et ex primo ueritatis fonte hauſtum, ueriſſimum eſſe.

(*a*) Fleury

(*a*) Fleury dans l' Hiſtorie Eccleſiaſtique T. XVII. discours V. p. XXXIV. *Or c' eſt une obſervation ueritable, qu'il regne en chaque ſiécle un certain goût, qui ſe repand ſur toutes ſortes d' ouvrages. Tout ce qui nous reſte de l' ancienne Grece, eſt ſolide, agréable, et d' un goût exquis : les reſtes de leurs bâtimens les ſtatues, les medailles, ſont du meme caractere en leur genre que les ecrits d' Homere, de Sophocle, de Demoſthene et de Platon: Par tout regne le bon ſens et l' imitation de la plus belle nature. On ne void rien de ſemblable dans tout ce, qui nous reſte depuis la chûte de l' empire Romain, iusques au milieu du quinziême ſiécle, où les ſciences et les beaux arts ont commencé a ſe relever, et à diſſiper les tenebres, que les peuples du Nort avoient repandües dans toute l' Europe.*

(*b*) Fleury d. l. *les titres magnifiques, que l' on a donnez a quelques uns de ces docteurs, ont impoſé aux ſiecles ſ'vivans; On a dit Albert le Grand, comme ſ'il etoit autant diſtingué entre les theologiens, qu' Alexandre entre les guerriers. On a nommé Scot le docteur Subtil. On â donné a d' autres, les épithetes d' Irrefragable, d' Illuminé, de Reſolu, de Solemnel, d' Vniverſel; Mais ſans nous laiſſer ébloüir par ces grands titres, voyons, ſ'ils ne montrent point le mauvais goût de ceux, qui les ont donnez, plûtôt que le merite de ceux, qui les portent : jugeons-en par leurs ouvrages, nous les avons entre les mains : pour moi j'avoüe, que je ne vois rien de grand dans ceux d' Albert, que la groſſeur, et le nombre des volumes. Souvenons nous, que ces theologiens vivoient dans un tems, dont tous les autres monumens ne nous paroiſſent point eſtimables, du moins par raport a la bonne antiquité. Du tems de ces vieux Romans, dont nous voyons des extraits dans Fauchet: du tems de Joinville, & de Ville-Hardouin, dont les biſtoires, quoiqu' utiles et plaiſantes, par leur nayveté, nous paroiſſent ſi groſſieres.*

(*c*) Pſal. CXIX, 72. et 127.

(*d*) vid. Ioberti Science des medailles, Inſtruct. I. p. 7.

(*e*) vid. Heideggeri Hiſt. papatus periodi III. §. 37.

(*f*) Cic. lib. III. de Natura Deorum. C. II.

I.

DVm barbaries et curruptus guſtus medio aeuo tribuitur, nemo putet, uel ſiderum poſitu, (*a*) uel fato, uel ſingulari quodam diuini Numinis conſilio, rerum naturam, aut uim intelligendi iudicandique in hominibus illius temporis, ita immutatam fuiſſe, ut, quae uera, bona, ac pulchra ſunt, minus, quam olim, perſpicere, et a falſis, uitioſis, atque ineptis diſcernere potuerint. Non ſane coeli uel ſiderum motui, ſed hominum culpae, labes illa adſcribenda eſt, eorum praecipue, qui magnam in aliqua arte, uel diſciplina, auctoritatem conſecuti, aliis uel inſtitutione, uel exemplo, uiam praemonſtrarunt. Speciatim religionis barbariem, et corruptum, ut ſic loquar, guſtum induxerunt illi ſacrorum antiſtites, et doctores publici, qui Scripturam S., unicam religionis normam, uel plane neglexerunt, uel propter ignorantiam, non recte intellexerunt, uel propter animi peruerſitatem, ἰδία quadam ἐπιλύσει corruptam, auaritiae et ambitioni ſuae ſubſeruire, uel inuitiſſimam, coegerunt.

(*a*) Nota eſt illa Vanini, Cardani, aliorumque, temeritas, qua non modo artium periodos, et imperiorum uiciſſitudines, ſed ipſius etiam religionis mutationes a certo ſiderum poſitu deducunt. Nam ille, in Dialogis ſuis, fidei Chriſtianae ortum, Iouis cum Sole coalitioni adſcribit, interitum ex Iouis cum Saturno coniunctione auguratur; hic, in libro de ſupplemento Almanaci C. XXII. religionem Chriſtianam â Ioue et Marte uim ſuam habere, affirmat, et in libri ſecundi de rerum uarietate C. XI. legem Chriſti anno 1800. mutatum iri, hariolatur, eadem uanitate, qua ipſius Chriſti, Soſpitatoris noſtri, uitam, doctrinam, actiones et mortem, genituræ eius reſpondere, nugatus eſt, in commentario ad Ptolemæi de aſtrorum iudiciis lib. II. cap. IX. leg. quae contra iſtos diſputant Hugo Grotius Lib. IV. de Verit. Relig. Chriſt. §. XI. Chriſtianus Kortholdus in Pagano obtrectatore Lib. XIV. cap. VI. et D. Io. Frid. Mayer in Diſſert. III. utrum fata religionum, regionum et urbium pendeant ab aſtris.

II. Si,

II.

Si, quo ſpeciatim tempore barbaries religionem contaminare coeperit, requiras, non multum aberrare uidentur, qui epocham eius, in Occidentali praeſertim Eccleſia, a barbarorum Septentrionalium incurſionibus in Romanum imperium repetunt. Vt enim hi partim paganae, partim haereticae, ſuperſtitioni addicti, ac praeterea bellis, caedibus, et rapinis potius, quam pacis artibus, aſſueti erant, ita literas ac religionem, una cum ſinceris et idoneis eiusdem doctoribus, oppreſſerunt. (*a*) Etſi uero ipſae illae gentes barbarae, in Italia, Gallia, Hiſpania aliisque prouinciis Romanis, rerum potitae, progreſſu temporis religionem Chriſtianam amplexae ſunt, tamen mores barbaros non illico mutarunt, quod ipſius regis Clodouaei, et filiorum eius, exemplo domeſtico, laudatus Fleurius (*b*) demonſtrat. Itaque ab hoc tempore rariſſimi fuerunt principes, qui aliquem literarum ſtudiis honorem haberent, nedum praemiis ea alerent, aut excitarent. Praeterea ut nullum exemplum efficacius, quam regum et principum, alios mouet, ita illorum imitatione ſubditi quoque parum de ſolidiori doctrina laborarunt, atque adeo ignorantia, errorum et ſuperſtitionis mater foecundiſſima, latius indies graſſata eſt.

(*a*) Teſtimonium eius rei luculentum perhibent Agatho, Papa Rom. et CXXV. Epiſcopi, in concilio Romano, anno DCLXXX. cum illo congregati. Cum enim Imperator Conſtantinus Pogonatus, ex Occidentalibus Epiſcopis, ad concilium VI. Oecumenicum mitti, poſtulaſſet, *uiros uitae integritate, et ſcientia Scripturarum praeditos* (πρόσωπα βίῳ τε καὶ εἰδήσει πάντων γραφῶν προύχοντα) illi, in literis, quas legatis, ad Synodum VI. miſſis, tradiderunt, reſpondent: *non aeſtimamus quenquam temporibus noſtris reperiri poſſe, qui de ſummitate ſcientiae glorietur: quandoquidem in noſtris regionibus diverſarum gentium quotidie aeſtuat furor, nunc confligendo, nunc diſcurrendo, et rapiendo. Vnde tota uita noſtra ſollicitu-*

licitudinibus plena eſt, quos gentium manus circumdat, et de labore corporis uictus eſt, eo, quod priſtina Eccleſiarum ſuſtentatio, paulatim per diuerſas calamitates deficiendo, ſuccubuit, et ſola eſt noſtra ſubſtantia fides noſtra. Haec eſt perfecta noſtra ſcientia, ut terminos catholicae et Apoſtolicae fidei, quos usque adhuc Apoſtolica ſedes nobiſcum et tenet, et tradit, tota mentis cuſtodia conſeruemus. En iam nouum fidei et religionis fundamentum in Eccleſiam inuectum, non ſcripta amplius Prophetarum et Apoſtolorum, quod ſacrae literae commendant, Epheſ. II, 20. ſed traditionem Eccleſiae Romanae, qualem Chriſtus in Phariſaeis repudiat, Marc. VII, v. 7. 8.

(*b*) Fleury Hiſt. Eccleſ. Tom. XIII. Diſc. IV. p. 13.

III.

Quae mala occidentali Eccleſiae et imperio a barbaris ſeptentrionalibus illata ſunt, eadem Chriſtianis orientalibus per Scytharum, nominatim Bulgarorum, Ruſſorum etc. maxime uero Arabum Mohamedanorum, incurſiones acciderunt. Nam ab eo tempore, quo prouinciae orientales aliae a Saracenis occupatae, aliae continuis bellis uexatae ſunt, magna in utrisque extitit eruditorum uirorum inopia. Silebant uidelicet inter arma Muſae, et praecipue iugo Saracenico preſſis, nec animus idem, ac olim, erat in literas, neque par ſtudiorum commoditas. Iam ſupra animaduerſum eſt, linguam Graecam, poſt Heraclii tempora, ſenſim intercidiſſe. Cuius mutationis cauſa non poſtrema fuit, quod Arabica lingua praeualeret, et uicti ad ſermonem pariter ac mores gentis uictricis ſeſe accomodarent. Quae res ſtudia, potiſſimum Theologica, multo difficiliora reddidit. Cum enim ſacri, pariter ac eccleſiaſtici ueterum doctorum, libri plerique omnes Graece ſcripti eſſent, hos aut Arabice uerti, aut linguae Graecae notitiam magno labore comparari, neceſſe erat. In communi igitur melioris doctrinae neglectu, pauciſſimi inuenti ſunt muneribus ſa-

cris

eris idonei, et controuerſiis, quae de religione ſubinde oriebantur, recte diiudicandis pares. Ipſi praeterea Imperatores Chriſtiani, qui in Oriente non exiguam ſacra moderandi poteſtatem habebant, muneribus illis, ac praecipue Patriarchatui Conſtantinopolitano, non ſemper optimos et digniſſimos quosque, ſed rationibus et cupiditatibus ſuis obſequentiſſimos, praeficiebant. Quo factum eſt, ut religio, fere pro illorum ſtudiis, mutaretur, et modo haec, modo contraria, factio emineret, aut caderet. Luculentum huiusmodi conuerſionis exemplum praebet hiſtoria imaginum, quarum cultus, tanto priorum ſeculorum conſenſu damnatus, tam ſeueris ſuperiorum Imperatorum edictis repreſſus, unius temerariae ac impotentis foeminae ſtudio, tam ſubito introductus, publiceque ſancitus eſt. Cum enim Irene Auguſta, iconolatriae, pro muliebri ingenio, dedita, rerum potiretur, omnes ſacrorum antiſtites illam repudiantes, aut ad diuerſas partes traduxit, aut a publicis certe conſiliis ſubmouit et excluſit, ac homines plebeios, ſacrarum literarum rudes, ineptos, et nulla re alia, quam iconolatriae ſtudio, aut quiduis ſaltem, in cauſa religionis, approbandi facilitate commendabiles, in illorum locum ſubſtituit, uel ſubornauit. (*a*) Huiusmodi epiſcoporum delectu conſtitit famoſa illa ſynodus Nicena II, uulgo Oecumenica VIII, quae controuerſiam de imaginum adoratione, ad nutum Irenes, ipſa ſeſſione I, prius decidit, quam diiudicauit, hominibus, inquam, *idiotis, uilibus, imperitis, ad tantam cauſam infirmis etc.* quales ſeſe eſſe, aliqui illorum (*b*) ipſi profitentur. Hi, cum ſemel adorationem illam idololatricam ſanciuiſſent, eam, ratiunculis miſere contortis, (*c*) aſſeruerunt. Nam partim oracula ſacra in alieniſſimum ſenſum torſerunt, partim Patrum ſententias deprauarunt, partim ad obſcuros librorum apocryphorum, ſiue ſuppoſitorum, riuulos ſe receperunt, et praecipuum

puum denique cauſae ſuae praeſidium in fictis imaginum miraculis et fabulis, plusquam anilibus, poſuerunt, atque adeo publicum barbariei, in Eccleſiam orientalem inuectae, teſtimonium et exemplum praebuerunt. (*d*)

(*a*) Leg. Spanhemii Hiſtoria Imaginum Sect. V, et VI.

(*b*) In actis Nicenis, et apud Anaſtaſium, a Baronio, ad annum 785. num. VI. citatum.

(*c*) Seſſione IV, V, et VI.

(*d*) Iam olim id animaduerſum, ac notatum eſt, in Capitulari Caroli M. ſynodi Francofurtanae conſenſu approbato, ubi patrum Nicenorum argumenta *ex Scripturis detorta*, *ex patribus imperite producta*, *ex apocryphis eruta*, *friuolis exemplis*, *hiſtoriolis*, *fabellis*, *ratiocinatiunculis*, *nixa*, *abſurdiſſima*, *dementiſſima*, *inſaniſſima*, *riſu digna*, *ignauia obſita*, *ratione et ſenſu carentia*, paſſim uocantur. Iudicia illa collegit, et ipſa exemplorum inductione comprobauit, Spanhemius, in Hiſtoria Imaginum Sect. VI. §. IX. X. XI. ſeqq.

IV.

Interea tamen, quae de epocha illa barbariei, in Eccleſiam illatae, dicuntur, non ita accipienda ſunt, quaſi omnes errores et ſuperſtitiones ſimul uno tempore irruerint. Nam ſenſim paulatimque inualuerunt, et aucti ſunt, prout ueteris doctrinae ac diſciplinae melioris cuſtodes magis magisque defecerunt, eo fere cum diſcrimine, ut quo longius ſeculum quodque ab aurea Chriſti et Apoſtolorum aetate diſtat, et quo propius a felici illa literarum pariter ac ſacrorum reſtitutione abeſt, tanto foediorem in utrisque faciem referat. Sicut uero obſcuriſſima etiam medii aeui ſecula nonnullos ſaltem ſcriptores ueteris elegantiae imitatores ac aemulos tulerunt, ita neque religionis corruptio tam uniuerſalis unquam fuit, ut non aliqui ſubinde antiquae ueritatis, ex ſacris literis deductae, aeſtumatores, teſtes, ac uindices refurgerent, qui publicam aetatis ſuae calamitatem non ſine

lacry-

lacrymis agnoſcerent, et communis mali emendationem ardentiſſimis uotis deſideriisque exoptarent. (*a*) Neque dubium eſt, quin multo plures huiusmodi teſtes omni tempore exſtiterint, quam quorum notitia, uel monumenta quædam, ad nos peruenerunt, Deo magis, quam hominibus, noti: perinde ut Eliae temporibus, qui ſibi ſolus ex omnibus ueri Dei cultoribus ſupereſſe uidebatur, Deus ſeptem millia, h. e. maximam multitudinem conſeruarat eorum, qui genua ſua non flexerant Baali: (*b*) quamuis illi, qui rerum apud Iſraëlitas potiebantur, qui maximam partem conſtituebant, qui de religione publica, per leges ciuitatis ſtabilita, gloriabantur, foediſſima idololatriae barbarie laborarent: ſic, inquam, medii quoque aeui corruptelis religionem Chriſtianam obſcuratam quidem et ſuppreſſam, minime uero penitus exſtinctam fuiſſe, affirmamus.

(*a*) Exempli loco ſit uenerabilis Beda, qui ſeculo VIII, Expoſitionis allegoricae in Samuelem lib. IV. cap. II. *uideat*, inquit, *lector*, *nec*, *ſine lacrymis rem lacrymis dignam contempletur*, *quantum Eccleſiæ ſtatus ad peiora quotidie*, *uel*, *ut mitius dicam*, *ad infirmiora gerenda deuoluatur*. Idque ſe praefati, addit, *non*, *quaſi non et hodie exiſtere*, *multosque ſemper extituros*, *perfectos in fide et ueritate*, *credat*, *ſed quod maxima in parte uideat*, *iam iamque inſtare tempora olim praedicta*. Taceo ſimiles Alcuini, Hincmari, Gerberti et aliorum, quos recenſere longum eſſet, querelas, in catalogos teſtium ueritatis relatas. Ac ne quid ab his fortaſſe ſtudio partium datum eſſe, putes, accipe, quid inter ipſos Romanenſes, iconolatriae defenſores, Cl. Fleury de actis et probationibus illis Nicenis iudicet: *les actes de ce même concile*, *ſont une preuue de la decadence des etudes par le grand nombres d' hiſtoires douteuſes*, *pour ne pas dire fabuleuſes*, *et d' écrits ſuſpects qui y ſont citéz*, *et qui montrent*, *que les Grecs n' etoient pas meilleurs critiques que les Latins*, dans l' Hiſtorie Eccleſ. tom. XIII. Diſc. IV. p. 25.

(*b*) 1. Reg. C. XIX. 18.

V.

Communem hujus calamitatis et barbariei fontem fuiſſe, diximus, neglectionem Scripturae S., lucis illius ad

inueniendam ſalutis uiam neceſſariae. (*a*) Hinc nimirum ortae ſunt ψευδοδιδασκαλίαι καὶ αἱρέσεις ἀπωλείας. (*b*) Elegans eſt eruditi cuiusdam uiri (*c*) obſeruatio, praecipuam cauſam, quamobrem ſeculo VII, ſuperſtitio Mohamedana apud Arabes potiſſimum, nomini licet Chriſtiano iam addictos, tam ſtupenda ſubito ceperit incrementa, eam fuiſſe, quod ſoli inter eius temporis Chriſtianos ſacras literas in linguam ſuam uerſas non habuerint, atque adeo fundamento religionis Chriſtianae deſtituti, inſidiis mali genii, ſectam cupiditatibus carnalibus blandientem, nouae reuelationis obtentu, offerentis, praeter ceteros expoſiti fuerint. Nam Graeci, Syri, Coptae, Armeni, Abyſſini, et alii, quibus eo tempore Scripturam ſacram in lingua uernacula legendi audiendique poteſtas erat, nequaquam tam facile ſectae illius contagio laeſi ſunt. Ita ſacrorum fontium ignoratio Anti-Chriſto Orientali fores et feneſtras aperuit. Eadem Anti-Chriſto Occidentali, eodem fere tempore manifeſtato, locum fecit, et latius deinceps graſſandi poteſtatem conceſſit. Id quomodo factum fuerit, et qua ratione lux illa ſacrarum literarum ſenſim occultata et ſuppreſſa fuerit, operae pretium uidetur paulo accuratius demonſtrare.

(*a*) 1. Petr. I. verſ. 19.

(*b*) 2. Petr. II. verſ. 1.

(*c*) Maturini Veiſſierii de la Croze, in animaduerſionibus de Mohamediſmo (Reflexions ſur le Mahometiſme) inter diſſertationes hiſtorico-Criticas uarii argumenti. T. I. p. 16.

VI.

Primam occaſionem, qua laicis potiſſimum, ſiue hominibus indoctis et plebeiis, in occidentali Eccleſia, uſus Scripturae S. ereptus eſt, praebuit linguae Latinae, per gentium barbararum incurſiones modo dictas, corruptio et n diu erſas dialectos, imo nouas linguas, Italicam puta, Galli-

Gallicam, Hiſpanicam, reliquas degeneratio. Cum enim illa tali modo uernacula eſſe deſiiſſet, nec uerſio biblica Italica, quae Eccleſiae occidentali quondam uernacula erat, nec ſacra publica, Latine peracta, uulgo amplius intelligebantur, imo et ſacerdotum quorundam rudiorum captum ſuperabant. (*a*) Hinc illa rerum ſacrarum ignorantia exſtitit, de qua multae paſſim querelae leguntur, praecipue in conſtitutionibus regum Francorum eccleſiaſticis, ut qui, inde a Caroli M. tempore, praeter ceteros de retinenda, et, ſicubi collapſa fuerat, reſtituenda ueteri diſciplina ſolliciti erant. (*b*)

(*a*) Leg. Vſſerii Hiſtoria dogmatica de Scripturis et ſacris uernaculis cap. IV.

(*b*) Ita Concilium Valentinum III. anno 855. habitum, canone XVIII. literarum ſtudia, uel hanc ob rationem, commendat: *quia ob huius ſtudii longam intermiſſionem, pleraque eccleſiarum loca et ignorantia fidei, et totius ſcientiæ inopia inuaſit*, et concilium apud Saponarias, anno 859, habitum, canone X, *ſcholas ſanctarum ſcripturarum, et humanae quoque literaturae*, conſtituit, *unde annis praecedentibus per religioſorum Imperatorum ſtudium, magna illuminatio eccleſiae et eruditionis utilitas proceſſit.* Additur: *deprecandi ſunt pii principes noſtri, et omnes fratres et epiſcopi noſtri inſtantiſſime commonendi, ut ubicunque omnipotens Deus idoneos ad docendum, id eſt, fideliter et ueraciter intelligentes donare dignatur, conſtituantur undique ſcholae publicae: ſcilicet ut utriusque eruditionis, diuinae, et humanae, in eccleſia Dei fructus ualeat accreſcere; quia, quod nimis dolendum eſt, et perniciosum maximè, diuinae Scripturae uera et fidelis intelligentia iam ita dilabitur, ut uix eius extrema ueſtigia reperiantur.*

VII.

Incommodo iſti ac defectui mederi conabantur, qui partim ſua ſponte, partim iuſſu regio, partes quasdam Scripturae S. in linguam Francicam, Saxonicam et Anglicam transferebant: (*a*) quamuis ante Petrum VValdenſem, et ſpeciatim ante annum 1170. totam Scripturam S. nemo Gallice transtulerit, (*b*) et translationis Saxonicae,

cae, quae Imperatoris Caroli M., aut potius Ludouici Pii, auctoritate facta esse dicitur, nullum amplius uestigium appareat. Nam uersio Theotisca Monotessari, siue Harmoniae Euangel. Tatiani, a Francisco Iunio et Bonauentura Vulcanio edita, et Otfridi Monachi VVeissenburgensis, uolumen Euangeliorum, priuatorum consilio studioque scripta sunt.(c) Sed huic quoque instituto pontificum Romanorum interceſſit autoritas, qui, ueriti, ne forte sacrarum literarum cognitio in uulgus elata, doctrinae, potestatis ac dominationis suae ab illis discrepantiam manifestaret, sedulo, ne in lingua uernacula, uel sacra publica audirentur, uel diuina oracula legerentur, cauerunt. Hinc facultatem istam Slauis, a Ioanne VIII. licet concessam (d), Gregorius VII. circa annum 1080. penitus denegauit. (e)

(a) Leg. Beati Rhenani Com. de reb. German. p. 112. et Conf. Jacob. Basnage Hist. Eccles. Lib. XXVII. Cap. 2. §. V. p. 1575.

(b) Vt ostendit Iacobus le Long in Bibliothec. Sacrae parte II. p. 2.

(c) Otfridi Monachi Weissenburgensis Volumen Euangeliorum, seculo IX. uersibus Theotiscis expressorum, quod a Matthia Flacio, ex unius tantum scripti codicis apographo admodum imperfecte editum esse, constat, post Schilterum, et alios, ex codice potissimum Vindobonensi, emendatius in lucem proferre studuit uir in hoc studiorum genere, dum uiueret, uersatissimus, Dietericus von Stade. Sed optimum eius conatum et laborem, per multos annos huic operi impensum, mors altero abhinc anno abrupit, cum nihil, quod norim, de illo praeter dedicationem ad Ludouicum Regem, praefationem libri III. Euangeliorum, et pauca quaedam horum fragmenta, sub titulo speciminis lectionum antiquarum Francicarum, publici iuris feciſſet. Emendationes Otfridianas, Romae 1699. a Friderico Rostgardo ex codice Vaticano collectas, et Schiltero inscriptas, Iohannes Georgius Eckardus, V. Cl. legibus Francorum, proxime superiori anno editis, subiecit: qui codex idem ille esse putatur, cuius apographon ab Achille Gassaro, Medico Augustano, Matthiae Flacio suppeditatum, et huius cura typis exscriptum est. Ceterum,

rum, tametsi in dedicatione illa, quam dixi, Otfridus librum suum *Ludouico, Orientalium regnorum regi*, uerbis etiam per acrostychon expressis, inscribat, nullo tamen indicio constat, eum regis hujus, nedum Imperatoris Ludouici Pii, aut Caroli M. jussu uel auctoritate, uersionem suam confeciſſe.

(*d*) In Epist. 247.

(*e*) Olaus M. Hist. lib. XVI. cap. 39. *Gregorius VII. Vladislao Bohemorum Duci, scripsit ac prohibuit, ne, ut optauit, Scriptura S. uerteretur in linguam uulgarem, quoniam tam secreta maiestas est in ea, ut difficulter translatae sensus secretorum Dei poterit in ea postmodum deprehendi, imo nunquam deuotior fieret populus, quando sciens facilitatem in contemtum uerteret, quod in reuerentia consueuerat admirari, et iam in cereuisiaria taberna irrisorie decantatur.* Idem ex ipsius Gregorii VII. epistola septima libri VII. perspicitur, ubi ad Vlatislaum Ducem Bohemorum rescribit: *Scias, nos huic petitioni tuae nequaquam posse fauere. Ex hoc nempe, saepe uoluentibus liquet, non immerito sacram Scripturam omnipotenti Deo placuisse quibusdam locis esse occultam, ne, si ad liquidum cunctis pateret, forte uilesceret, et pateret despectui, aut praue intellecta a mediocribus, in errorem induceret.*

VIII.

Idem Gallis, sub initium seculi XIII, interdixit Innocentius III. (*a*) Cum uero deinceps uersio Bibliorum VValdensis, cuius paulo ante mentionem fecimus, multos a coetu Romano disiunxisset, anno 1229, in concilio Tolosano, curiae Romanae, et satellitum eius, fratrum Dominicanorum, instinctu, publice decretum est, ne cuiquam Scripturam S. in lingua uulgari legere, uel possidere, fas esset. (*b*) Scilicet inter causas haeresium VValdensium praecipuo loco referebatur, *quod Nouum Testamentum, et Vetus, uulgariter transtulerint.* (*c*) Eandem haeresin anno 1338. synodus Oxoniensis in VViclefo damnauit. (*d*)

(*a*) In epistola CXLI. libri II. Epist. p. 432. edit. Baluz: quae decretalibus Gregor. Cap. *cum ex iniuncto*, de Haereticis, inserta est, circa annum 1200. scripta

ſcripta, his uerbis: *ſignificauit nobis uenerabilis frater*, (Bertramus) *Metenſis epiſcopus, per literas ſuas, quod tam in dioeceſi, quam in urbe Metenſi, laicorum et mulierum multitudo non modica, tracta quodammodo deſiderio Scripturarum, Euangelia, Epiſtolas Pauli, Pſalterium, Moralia Iob, et plures alios libros, ſibi fecit in Gallico ſermone transferri: translationi huiusmodi adeo libenter, utinam autem et tam prudenter, intendens, ut ſecretis conuentionibus talia inter ſe laici et mulieres eructare praeſumant, et ſibi inuicem praedicare. Licet autem deſiderium intelligendi Scripturas et ſecundum eas ſtudium adhortandi reprehendendum non ſit, ſed potius commendandum, in eo tamen apparent quidam laici merito arguendi, quod occulta conuenticula celebrant, officium praedicationis Chriſti ſibi uſurpant, Sacerdotum ſimplicitatem eludunt, et eorum conſortia aſpernantur, qui talibus non inhaerent.* Vbi quidem non tam ſtudium, quam modum legendi tractandique Scripturam S. damnare uidetur. Sed ſi diligentius mentem eius attendas, ſtudium illud legendi Scripturam S. ſolis Clericis concedit, laicis denegat. Nam addit: *Arcana uero fidei fundamenta non ſunt paſſim omnibus exponenda, cum non paſſim ab omnibus poſſint intelligi. Vnde recte olim in lege diuina fuit ſtatutum, ut beſtia, quae montem tetigerit, lapidetur, ne uidelicet ſimplex aliquis et indoctus praeſumat ad ſubtilitatem Scripturae S. pertingere.* Quin poſtea Epiſcopo Metenſi, et Abbati Ciſtertienſi, in mandatis dedit, *ut Apoſtolica auctoritate freti, etiam ſublato appellationis obſtaculo, eos, qui dictae translationi adhaererent, corrigerent*, uid. Ledesmam de Scripturis quauis lingua non legendis Lib. I. Cap. XV.

(*b*) Concilium Toloſanum, anno 1229. habitum, Cap. XIV. *prohibemus etiam, ne libros ueteris Teſtamenti, aut noui, laici permittantur habere, niſi forte Pſalterium, uel breuiarum, pro diuinis officiis, aut horas B. Mariae aliquis ex deuotione habere uelit. Sed ne praemiſſos libros habeant in lingua uulgari translatos, arctiſſime inhibemus.* in Concil. Labbaei tom. XI. p. 430. Idem anno 1233. concilium Biterrenſe repetiit, ibidem pag. 452.

(*c*) Apud Reinerium, in libro de VValdenſibus eorumque doctrina et moribus, inter Rerum Bohemicarum ſcriptores a Marquarto Frehero edito p. 222.

(*d*) Tom. XI. Concil. p. 295. Conf. Iacobi Basnage Hiſtoire de l' Egliſe, Liber. XXVII. Chap. II. §. 6. 7. p. 1575.

IX.

Legem hanc nouam esse, et consuetudini primitiuae ecclesiae aduersam, ipse Hildebrandus nequaquam dissimulat: sed morem antiquum Scripturae S. lectionem quibuslibet hominibus concedendi, certo deliberatoque consilio se sustulisse, et correxisse, profitetur, ne uidelicet interiora religionis Christianae fundamenta ac mysteria, quae ignota sibi, uulgus suspiciat, perspecta contemnat. (*a*) Egregiam uero rationem, homine pagano, nullam religionis suae fiduciam habente, quam Christiano, ne dicam capite Ecclesiae Christianae, digniorem! Siccine eorum, quae Deus ad salutem generis humani reuelauit, quae propterea per uniuersum terrarum orbem innotescere uoluit, quae creaturae omni (puta ratione et facultate intelligendi praeditae) annunciari, quae ex tectis praedicari, et instar luminis accensi, omnium conspectui exponi iussit, ignorantiam, et ex tali ignorantia profectam coecam admirationem, plus, quam ueram solidamque uoluntatis diuinae cognitionem, ad fidei et pietatis incrementa, Christianis prodesse, Hildebrando, ex cathedra pronuncianti, credemus? At bene habet, quod ipsi pontificii cordatiores futilitatem huius rationis, pariter ac iniquitatem ipsius decreti, agnoscant: inter quos saepe iam laudatus Claudius Fleury, *ea ratione parum se moueri*, profitetur, *qua nonnulli* (Hildebrandum ducem secuti) *in oppugnandis Scripturis et sacris uernaculis, utuntur, ut sua religioni ueneratio constet: quoniam coeca eiusmodi ueneratio non nisi falsae religioni conueniat, quae fabulis et ineptis superstitionibus continetur; uera autem religio tanto plus habeat uenerationis, quanto penitius cognoscitur.* (*b*) Idem merito commendat, et ad imitandum proponit, exemplum ecclesiae Armenicae, quam omni tempore sacra sua, *officium diuinum* uulgo uocant, lingua Armenica peregisse, et sicubi exterarum

rum nationum homines illi se adiunxerint, interpretes constituisse, ostendit, qui periochas, e Scriptura S. praelectas, illorum lingua explanarent. Quod notandum est contra nouissimos libri Vsseriani, de Scripturis et sacris uernaculis, oppugnatores, Richardum Simonium (*c*) et Eusebium Renodotium, (*d*) qui temere nimis, nullam, in toto Oriente, ecclesiam sacra sua hodie sermone uernaculo celebrare, affirmant: licet alioquin ultro concedant, imo superuacuam in eo probando operam ab Vsserio positam esse, pronuncient, quod, prioribus sex seculis, omnes nationes Christianae, non alia, quam sua lingua, in cultu Dei publico, usae fuerint. Quid uero hoc aliud est, quam aperte fateri id, quod quaerimus, interdictum uidelicet illud Hildebrandinum, ad hunc usque diem, in coetu Romano seruatum, a moribus primitiuae et purioris Ecclesiae abhorrere, atque adeo ad barbariem religionis, medio demum aeuo inuectam, pertinere?

(*a*) Greg. VII. in epistola ad Vlatislaum, paulo ante citata, pergit: *Neque ad excusationem iuuat, quod quidam religiosi uiri hoc, quod simpliciter populus quaerit, patienter tulerunt, seu incorrecta dimiserunt: cum primitiua ecclesia multa dissimulauerit, quae a sanctis postoribus postmodum, firmata Christianitate, et religione crescente, subtili examinatione correcta sunt.* Quodsi causam correctionis, et fundamentum *subtilis*, quam uocat, *examinationis*, requiras, hoc in eo unice quaeri, deprehendes: *ne illa, quae ignota, populus in reuerentia consueuerat admirari, sciens facilitatem, in contemtum uerteret*, ut Olaum modo scribentem uidimus.

(*b*) Fleury Hist. Eccles. tom. XIII. Discours IV. p. 69. *au reste je ne suis point touché de la raison, qu' alleguent plusieurs modernes, de conserver le respect pour la religion. Ce respect aveugle, ne convient qu' aux fausses religions, fondées sur des fables et des superstitions frivoles: la vraye religion sera toûjours d' autant plus respectée, qu' elle sera mieux connue. Au contraire depuis que le peuple s' est accoutumé a ne point entendre, ce qui se dit dans l' Eglise, il a perdu le desir de s' en instruire, et son ignorance*

rance a été jusques a ne pas penſer qu'il eut beſoin d' inſtruction. Pour les gens d' eſprit ignorans, ils ſont tentez d' avoir mauvaiſe opinion de ce qu'on leur cache avec tant de ſoin. Talem occultationis cauſam habet religio Mohamedana, de qua Hugo Grotius lib. VI. de Veritate Religionis Chriſtianae Cap. II. ſcribit : *Haec religio multum ritibus gaudet, credique ſibi uult, nulla inquirendi libertate, unde librorum, quos ſanctos habet, lectio plebi interdicta eſt. Quod ipſum ſtatim manifeſtum eſt indicium iniquitatis. Merito enim ſuſpecta merx eſt, quae hac lege obtruditur, ne inſpici poſſit.*

(*c*) Rich. Simon Biblioth. Choiſie Tom. I. cap. 18.

(*d*) Renaudot in collectione liturgiarum Orientalium diſſertat. de Origine liturgiarum Cap. VI. p. 46.

X.

At fortaſſe Clerici, et doctores publici, qui ſibi ſolis poteſtatem legendi Scripturam S. uindicabant, tanto ſtudioſius ex ea mentem Domini inueſtigarunt, eiusque ope religionis integritatem conſeruare et reſtituere anniſi ſunt. Imo uero plerique omnes coeci erant coecorum doctores, et quod aliis interdicebant, ipſi negligebant, ſeculis maxime mediis, decimo et undecimo, quae ipſi Baronio *ſuae aſperitate et boni ſterilitate ferrea, mali exundantis deformitate plumbea, atque inopia ſcriptorum obſcura*, appellantur. (*a*) Haec enim, ut nullos fere in ullo genere praeſtantes ſcriptores, ita minime omnium idoneos Scripturae S. interpretes, tulerunt: quin toto interuallo, quod ab aetate Auguſtini, usque ad literarum et religionis inſtaurationem interceſſit, praeter Graecorum *catenas*, Latinorum *gloſſas*, et ſimiles patrum compilationes, nihil, quod aliquo ſaltem loco numeroue cenſeri mereatur, ad ſacrarum literarum expoſitionem, ſcriptum reperias. Nec quisquam, poſt Hieronymi tempora, ante Nicolaum Lyranum, parentibus Iudaeis natum, et Rabinorum diſciplina a puero eruditum, uel mediocrem linguarum originalium, praeſertim He-

 braeae,

braeae, notitiam ad eam attulit. Alioqui enim tanta erat, ante emendatam religionem, utriusque linguae originalis ignorantia pariter ac contemtio, ut *Graece nosse suspectum*, *Hebraice prope haereticum* haberetur. (*b*)

(*a*) Baronius in Annalibus ad annum 900. num. I.
(*b*) Vide Claudii Espencei Comment. in 1. Tim. III.

XI.

Illis ignorantiae temporibus magis magisque inualuit opinio, quam neruum papatus merito dixeris, sacras literas interpretari non esse hominis priuati, sed ecclesiae, hoc est, ex mente Romanensium, Pontificis Romani. Hinc seculo Hildebrandino natum est nouum illud religionis principium: *Quicquid Papa Romanus dicit, illud infallibiliter uerum est.* Erat autem Pontificum Romanorum interpretatio eiusmodi, qualem ratio status, ambitio, et auaritia, curiae Romanae, requirebat. Huic ut tanto facilius Scripturam S. accommodarent, utebantur genere quodam interpretandi probandique figurato et allegorico, per quod, ex quouis dicto, nulla scopi, uel contextus ratione habita, quodlibet, pro arbitrio suo, exsculpebant: idque potissimum exemplo et imitatione Gregorii Magni, quo nemo, in Ecclesia Latina, crebrius aut studiosius sensum allegoricum uenatus est. Cum enim magna huius Pontificis esset autoritas, praesertim apud Anglos, quorum Apostolus uulgo dicitur, et ex Anglia, seculo VIII et IX, praecipui quique doctores publici in Germaniam et Galliam uenirent, inde factum est, ut illud allegorisandi studium, cum ipsa Gregorii ueneratione, et assidua scriptorum eius lectione, passim in scholas et ecclesias induceretur. Denique per illam interpretandi licentiam res eo rediit, ut Scriptura S. alios, qui mysteria illa supra captum suum posita esse, putabant, a sui lectione deterreret, ab aliis uero, quasi liber per se nihil significans, et pro lubitu cuiusque in omnes partes flexilis, prorsus negligeretur. (*a*)

(*a*)

(*a*) Recte et ingenue Claudius Fleury, dans l' Hiſtoire Eccleſ. Tom. XVII. Diſc. V. p. 27. de allegorica illa Scripturam interpretandi ratione, medio aeuo uſitata, ſcribit: *La liberté d' expliquer ainſi l' Ecriture a été pouſſeé a un tel exces, qu' elle l' a enfin renduë mepriſable aux gens d' eſprit mal inſtruits de la religion: ils l' ont regardée comme un livre inintelligible, qui ne ſignifioit rien par lui même, et qui etoit le joüet des interpretes. Les autres plus religieux n' ont oſé la lire, deſeſperant de l'entendre ſans le ſecours de tant de commentaires, dont on la chargeoit tous les jours, et qu' ils croyoient neceſſaires pour en penetrer les myſteres. Ainſi le reſpect et le mepris ont produit le même effet de renoncer l' etude de l' Ecriture.* Exempla huiusmodi explicationum et probationum allegoricarum, quibus Pontifices Romani, in aſſerenda auctoritate ſua, uſi ſunt, collegit Salomon Glaſſius in Philologia S. Lib. II. Parte I. p. 300. ſeqq. Speciatim detorſionis duorum locorum Geneſ. I. v. 16. *Fecit Deus duo luminaria magna*, et Lucae XXII. u. 38. *Ecce duo gladii*, quorum ille de ſacerdotii prae regno excellentia, hic de duplici Pontificis Rom. poteſtate, ſpirituali, et temporali, exponitur, originem et progreſſum Praeſes ſingulari ſcripto, ſuperiori anno auſpicii cauſa edito, ob oculos poſuit. Qui plura deſiderat, uel unam, exempli cauſa, Bonifacii decretalem legat, cuius initium eſt, *unam ſanctam Eccleſiam*, in Extra. Com. Lib. I. Tit. VIII. de maioritate et obedientia, ubi *Noa*, *unius arcae unicus gubernator et rector*, Geneſ. VII, *et unius ouilis unicus paſtor*, Ioh. X, *eſt unicum caput unius Eccleſiae*, ſcilicet *Chriſti Vicarius*, *Petrus*, *Petrique ſucceſſor*, uerba Ieremiae I: *Ecce conſtitui Te hodie ſuper gentes et regna*, poteſtatem terrenam, poteſtati Eccleſiaſticae ſubiectam, ſignificant, locus I Corinth. II. 15. *Spiritualis homo iudicat omnia*, *ipſe autem a nemine iudicatur*, ſupremam et independentem Romani Pontificis iurisdictionem demonſtrant, et quia Moſes non dixit: *In principiis*, *ſed*, *in principio*, *creauit Deus coelum et terram*, inde infertur, *ſoli Pontifici Rom. ſubeſſe omnem humanam creaturam*, *idque eſſe de neceſſitate ſalutis*. Vsque adeo Pontifices *ingenii ſui commenta*, quod Origeni olim ab Hieronymo exprobratum fuiſſe, conſtat, *faciebant Eccleſiae Sacramenta*.

XII.

Scripturae S. tali ratione loco motae et throno auctoritatis ſuae deiectae, alia religionis principia et fundamenta

ſucceſſerunt: inter quae principem facile locum tenent TRADITIONES recens confictae, et pro Apoſtolicis uenditatae. Specimen earum inſigne praebent epiſtolae Pſeudodecretales, ſeculo VIII, ab Iſiodoro Mercatore, priorum trium ſeculorum epiſcopis Romanis ſuppoſitae, per DCCC annos pro genuinis habitae, et poſt alios a Gratiano in corpus iuris Canonici relatae, cuius ſumma deinceps in ſcholis et tribunalibus auctoritas fuit. Hae ſupremum totius Eccleſiae Chriſtianae imperium Pontifici Romano aperte tradunt, atque adeo nouam plane diſciplinae ac regiminis eccleſiaſtici formam inducunt, quam praeter ceteros Gregorius VII, quaſi antiquam, ac, ſi Diis Homericis placet, Apoſtolicam, ſumma ui in uſum deducere ſtuduit. Praecipiunt e. g. illae epiſtolae, epiſcopos iudicari non poſſe, niſi a Pontifice Romano. (*a*) Quo nixus Gregorius VII, quotidie epiſcopos ex remotiſſimis Germaniae, Galliae, Britanniae, aliorumque regnorum locis, ut coram ſe cauſam dicerent, Romam euocauit, exemplo antea inaudito, et maximo eccleſiarum partiumque litigantium incommodo. Porro Patriarchas, Primates, Archi-epiſcopos, ab Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus, conſtitutos fuiſſe, eaedem mentiuntur: (*b*) unde ad eas prouocat, atque adeo ipſa Pſeudo-Anacleti uerba repetit, Hildebrandus, dum epiſcopum Lugdunenſem Primatem conſtituit, eique Rothomagenſem, Turonenſem, et Sanitienſem epiſcopos ſubiicit: (*c*) quam dignitatem illi, non ſine multa horum contradictione, Vrbanus II, in concilio Claromontano, anno MXCV, confirmauit. (*d*) Pari autoritate et fundamento Archi-epiſcopatus Viennenſis, Toletanus, Bracarenſis, aliique, a Pontifice Romano erecti ſunt. Denique ius extremae prouocationis in cauſis quibuscunque, Pontifici Romano eaedem epiſtolae iniquiſſime aſſerunt: (*e*) et hoc quoque, ueteri Eccleſiae ignotiſſimum, Pontifices Romani,

mani, non ſine manifeſta iuſtitiae uiolatione, et iudiciorum quorumcunque ſententias eludendi, litesque ex litibus ſerendi, licentia, ſecundum epiſtolas illas decretales, ſemel receptas, medio aeuo uſurpare coeperunt. Ab illo tempore curia Romana, inſtar ſummi cuiusdam tribunalis, litium ac negotiorum forenſium ſtrepitu oppleta, Pontificem diſtinuit, et uix ullum precibus, Scripturae S. lectioni et meditationi, uerbi diuini praeconio, aliisque muneris epiſcopalis officiis rite fungendi, tempus illi reliquit. Vsque adeo S. Petri ſucceſſor oblitus eſt moniti Apoſtolici, *ut nemo, militans Deo, ſe implicet negotiis ſecularibus.* (*f*) Sanctus Bernhardus, qui iſtam aulae Romanae conditionem ex *αὐτοψία* deſcribit, de iniquitate illarum appellationum paſſim conqueritur, et ſola autoritate Apoſtolica, qualem uidelicet bonus uir, ex communi eius temporis errore, epiſtolis Pſeudodecretalibus tribuebat, ſe impediri, oſtendit, quo minus illas plane illicitas iudicaret. Non aliam curiae Romanae faciem poſt Bernhardi tempora fuiſſe, uel ex Innocentii III. epiſtolis colligere licet, prodigioſa cauſarum, ex omnibus fere Chriſtiani orbis partibus ad diiudicationem Papalem delatarum, multitudine et uarietate refertis, quarum uel ſola perlectio et ſubſcriptio, nedum iuſta ipſarum rerum ponderatio, homini, id unum agenti, ſat negotii exhibere potuit. Taceo immunitatem Clericorum a iudiciis quibuscunque ſecularibus, et alia iura, quae Gratianus ex iisdem epiſtolis decretalibus probatum iuit, a Thoma Becketo, Archiepiſcopo Cantuarienſi, ſeculo XII, tam acriter, contra Henricum II, Angliae Regem, defenſa, ut mortem, quam illorum temporum ſuperſtitio martyrium interpretabatur, pro iis oppeteret.

(*a*) Vid. Epiſt. Eleutherii, cuius uerba huc ſpectantia repetit Gratianus c. III. quaeſt. 6. *Quamuis.* Iulii I. Epiſt. II. ad orientales Epiſcopos, uerbis citatis ibidem n. IX. *Dudum*, Victoris Epiſt. I. ad Theophilum Alexandriae Epiſcopum. etc. (*b*)

(*b*) Pseudo-Clementis Epist. I. ad Iacobum fratrem Domini, citata distinct. LXXX. c. II. Anacleti Epist. II. et III, citata dist. XCIX. c. I.

(*c*) Gregorius VII. in Epist. XXXIV. lib. VI. anno 1079. scripta.

(*d*) Vid. T. X. Concil. ed. Labb. p. 517.

(*e*) Nihil crebrius Pseudo-Isidorus inculcat, aut diligentius commendat, quam ius illud uniuersalis prouocationis ad Pontificem Romanum, ut facile pateat, huius introductionem illi prae ceteris curae cordique fuisse. Vide ex. c. Anacleti epistolam I, Sixti I epist. II, Sixti II. epist. I, et II, Fabiani epist. III. Cornelii epist. III. Victoris epist. I. Zephyrini epist. II, Marcelli epist. II. Iulii epist. II. etc. in decreto Gratiani hoc nomine passim commendatas.

(*f*) II. Tim. II. 4.

XIII.

Nihil horum admissum, uel usurpatum uideas in Ecclesia Graeca, ubi scilicet nouum illud ius ecclesiasticum, epistolis Pseudodecretalibus superstructum, nullam auctoritatem obtinuit, et multo minus Gratiani *Decretum*, aut Gregorii IX *Decretales*, aliaeue compilationes, schismate Graecorum posteriores, iudiciorum normam praebuerunt: ut uel hoc indicio constet, iura illa, quae inde a medio aeuo curia Romana usurpat, et pro diuinis institutis uenditat, ueteri ecclesiae fuisse ignota.

XIV.

Ceterum, etsi, epistolas illas, a nequissimo, pariter ac imperitissimo, homine, primorum seculorum episcopis Romanis suppositas, ex scriptis horum aetate multo posterioribus inepte consarcinatas, nugarumque et errorum plenas esse, plerique omnes hodie, etiam Romanenses, maxime post inuictas Dauidis Blondelli demonstrationes, agnoscunt; tamen placita et instituta per illas inuecta, et a maioribus tradita, adhuc arcte tenent, et quasi ex tripode dicta,

cta, defendunt. Tam miſeranda uero Epiſcoporum et doctorum publicorum medii aeui barbaries fuit et inſcitia, ut foetum tam enormiter ueteris Eccleſiae diſciplinae et inſtitutis repugnantem, per tot ſecula, usque ad emendatam a D. Luthero religionem, non tantum pro uero, genuino, et Apoſtolico, amplecterentur, ſed etiam auctoritatem illis, ſi non maiorem, certe parem, ac ipſis diuinis et canonicis ſcriptis, tribuerent. (*a*)

(*a*) Si cui non credibile uideatur, ſcripta adeo inepta medio aeuo cum diuinis et canonicis pari numero locoque habita fuiſſe, is uel ſolum Gratianum adeat, qui in Decreti ſui Parte I. Diſtinct. XIX, collectis multorum teſtimoniis, id ex inſtituto probare contendit. Primum inter illa ac praecipuum eſt, quod in Nicolai I, Papae, epiſtola, anno 865. ad Archiepiſcopos et Epiſcopos Galliae ſcripta occurrit. Cum enim horum nonnulli obuertiſſent: *Decretalia illa priſcorum Pontificum in toto Canonum Codicis corpore non contineri deſcripta* (Scilicet Dionyſius Exiguus, qui primus inter Juris Canonici collectores epiſtolas decretales Pontificum Romanorum Codici Canonum Eccleſiae Romanae inſeruit, nullas, Siricii, qui anno 385. pontificatum adiit, aetate antiquiores exhibet, eas ſi tum exſtitiſſent, nequaquam immiſſurus,) Papa reſpondet: *Si iſtos duxerimus audiendos, nec ipſas diuinas ſcripturas Veteris et Noui Teſtamenti iam recipiemus. Etenim neutrum horum in codice canonum eccleſiaſticorum habetur inſertum. Sed reſponſuri ſunt iſti, dicentes, quod inter Canones inueniatur capitulum Sancti Papae Innocentii, cuius auctoritate doceatur, a nobis utrumque Teſtamentum eſſe recipiendum, quanquam in ipſis paternis canonibus nullum eorum ex toto contineatur inſertum. Quibus ad haec aſſerendum eſt, quoniam, ſi Vetus Nouumque Teſtamentum recipienda ſunt, non quod codici canonum ex toto habeantur annexa, ſed quod de his recipiendis Sancti Papae Innocentii prolata uideatur eſſe ſententia*, (egregiam uero rationem Scripturae S. auctoritatem aſſerendi. Quo uero argumento diuinitatem eius agnouerunt, qui ante Innocentium III. uixerunt? aut quid hodie illi fieret, *ſi ſancto* huic *Papae* non in mentem ueniſſet *de illa recipienda ſententiam proferre?*) *reſtat nimirum quod decretales epiſtolae Romanorum Pontificum ſint recipiendae, etiamſi non ſint codici Canonum compaginatae, quoniam inter ipſos canones unum beati Leonis Capitulum conſtat eſſe permiſtum, quo ita omnia decretalia conſtituta ſedis Apoſtolicae*

cuſtodiri

custodiri mandantur, uti si quis in illa commiserit, nouerit sibi ueniam denegari. Dicendo uero: omnia decretalia constituta, nullum de decretalibus constitutis praetermisit, quod non mandauerit custodiendum esse: et rursus asserendo: omnium decessorum nostrorum, nullum Pontificum Romanorum qui ante se fuerunt, excepit. Consonat autem huic beatissimo Papae Leoni sanctus et facundissimus in decretis suis Papa Gelasius, ita inquiens: Decretales Epistolas etc. En parem Scripturae S et Epistolarum Decretalium, etiam suppositarum, auctoritatem, ex pari principio, Papae uidelicet constitutione, deductum! Ac ne quid forte ex uerbis illis, praeter mentem autoris, uel contra sententiam illius aetatis, elici, putes, Gratianus paulo post, in eadem distinctione, thesin hanc: *inter canonicas scripturas decretales epistolae commemorantur*, non modo repetit, sed et Augustini testimonio, pessima licet fide citato confirmare studet. Cum enim Augustinus in lib. II. de Doctrina Christiana Cap. VIII. scripsisset: *In Canonicis autem scripturis, ecclesiarum Catholicarum quam plurimum auctoritatem sequatur: inter quas (ecclesias catholicas) sane illae sunt, quae Apostolicas sedes habere* (h. e. ab Apostolis condi siue fundari) *et epistolas accipere meruerunt;* (quales non tantum fuerunt uetus Ecclesia Romana, sed et Antiochena, Cypria, Ephesina, Corinthiaca, Philippensis, reliquae) Gratianus uerba haec tali modo deprauat, et ad decretales in numerum scripturarum Canonicarum referendas detorquet: *In Canonicis scripturis, ecclesiarum Catholicarum quam plurimum, diuinarum scripturarum solertissimus indagator, auctoritatem sequatur, inter quas sane illae sunt, quas Apostolica sedes (id est Romana) habere, et ab ea alii accipere meruerunt epistolas.* Ita scilicet mendacium mendacii et fraudis patrocinio opus habebat! Interea laudandus hic est ipsius Correctoris Romani candor, qui integra Augustini uerba, istis a Gratiano deprauatis subiunxit, et addidit: *quae quidem B. Augustini sententia non ad Decretales Romanorum Pontificum, sed ad Canonicas et sacras Scripturas referenda est.* Conf. Mornaei mysterium iniquitatis p. 381. Atque haec origo est erroris, latius deinde diffusi, et in Ecclesia Romana propagati, quo auctoritas Scripturae S. a Pontificis Rom. decreto suspenditur, eiusque arbitrio tota subiicitur. Ita inter doctores Scholasticos Scotus Lib. III. sentent. distinct. XXIII, quaest. una, cum eoque Durandus distinct. XXIV. quaest. I. num. 8 *propter ecclesiae autoritatem ipsi uerbo diuino in scripturis reuelato, credi, affirmat, ac illam et esse primum credendorum principium, et rationem, cur cetera omnia creduntur.* Hinc cum Bohemi communionem sub utraque specie

sibi

ſibi concedi, in concilio Baſilienſi, conſtanter poſtulaſſent, utpote conformem inſtitutioni Chriſti, et, ſi concilium, aut Papa, quicquam contra Scripturae S. auctoritatem praeceperint, aut uetuerint, ſe praecepto Chriſti potius, quam illis, obtemperaturos eſſe, in Articulis ſuis, anno 1433. oblatis, demonſtraſſent, Nicolaus Cuſanus Cardinalis, a Nicolao V, P. R. ad eos ſedi Romanae reconciliandos, miſſus, aduerſus poſtulatum illud aſſeruit: *non habere ſcripturam plus auctoritatis, quam Eccleſia uult, non habere aliud auctoritatis, quam uti per eccleſiam dictatur* in epiſtola II. ad Bohemos Tom. II. Operum fol. 834. et in Epiſtola III. ad eosdem, poſt longam diſputationem, fol. 841. concludit: *auctoritatem eccleſiae praeferendam eſſe ſcripturis.*

XV.

Cum ſummo illo omnes controuerſias, praecipue Clericorum, decernendi arbitrio, quod Pſeudodecretales epiſtolae Pontifici Romano attribuerunt, abſolutam de ipſa religione et doctrina Chriſtiana ſtatuendi poteſtatem coniunctam fuiſſe, nemo non intelligit. Et ea quidem progreſſu temporis tam enormiter extenſa eſt, ut Pontifex Scripturam ſacram non tantum authentice interpretandi, ſed etiam augendi, imminuendi, infirmandi, et contra illam, imo contra omnia iura diuina et humana, quicquid uellet, ſtatuendi faciendique facultatem ſibi arrogaret. (*a*) Huiusmodi ſententiae, etſi ſaepe, cauſa non ſatis cognita, praecipitatae, etſi plerumque ad rationes curiae Romanae potius, quam normam Scripturae et uoluntatis diuinae, accommodatae, cum omnis erroris expertes, atque adeo irreuocabiles eſſe crederentur, (*b*) hinc tot barbarae et prorſus horrendae corruptelae, publica autoritate roboratae, inualuerunt, et maiora ſubinde incrementa ceperunt, et ſicut Pontifici eas ſemper augendi, ita nullus Pontificiae dominationi ſubiectis emendandi locus relictus eſt.

(*a*) Ita ſecundum Gloſſam ad C. Quanto, Extra de Translat. epiſcopi, *poteſt Papa ſupra ius diſpenſare, et de iuſtitia facere iniuſtitiam,*

potest contra ius naturale ac diuinum absolute, et tamen iuste, iudicare, item: *Papa naturam rerum immutat, substantiam unius rei applicando alii, et de nullo potest facere aliquid, et sententiam, quae nulla est, facit aliquam: quia in his terris, quae uult, ei est pro ratione uoluntas, nec est, qui ei dicat: Cur ita facis?* Sic Panormitanus, in C. *cum Christus* de Haeret. num II, Triumphus, quaest: LIX. art. I. et II. aliique horum similes, affirmare non dubitarunt, Pontificem *posse nouos facere articulos fidei, et nouum Symbolum condere.* Plura huius generis placita ex Canonistis medii aeui, et Glossa iuris Canon., ut, quod *possit Papa dictis Apostolicis, derogare, statuere super epistolis Pauli, dispensare contra Apostolum, tanquam superior, et contra Euangelium*, item *contra Vetus Testam. eo quod maior sit omnibus eius auctoribus etc?* Collegerunt Mornaeus in Mysterio Iniquitatis, ad annum 1327. et Gerh. Confess. Cathol. Lib. II. Append. Art. 3. 6. 19. Add. Christ. Kortholdi Apotheosis Papaea, Kiloni 1690. Quid uero est, si hoc non est, Gigantum more, coelum oppugnare, et omnia religionis, pariter ac honestatis, fundamenta euertere?

(*b*) Inter dictatus Hildebrandinos num. XVIII. sancitum est, *quod sententia Papae a nullo debeat retractari, et ipse omnium solus retractare possit* et num XXII. *quod Romana Ecclesia nunquam errarit, nec in perpetuum, Scriptura testante, errabit.* apud Baron. ad A. C. 1076. num. XXXI. Mala per istam *infallibilitatis* arrogantiam in ecclesiam inuecta, Eberhardus Archiepiscopus Salisburg. Seculo XIII, in conuentu Episcoporum et procerum Bauariae uiuis coloribus descripsit, apud Auentinum Ann. Boi. Lib. VII. p. 420. ubi *ingentia*, inquit, *loquitur, quasi uero Deus sit, leges commutat, nouas sancit, contaminat, fraudat, occidit, perditus ille homo, quem Antichristum uocare solent, in cuius fronte scriptum est nomen blasphemiae: Deus sum, errare non possum.*

XVI.

Sicut Ius Canonicum falsas traditiones, et ex his deductum infallibilitatis Papalis priuilegium, ita Theologia Scholastica, eodem fere tempore nata, placita Aristotelis et Peripateticorum, eaque saepe ne quidem recte intellecta, et ex malarum uersionum Arabicarum peioribus uersionibus Latinis hausta, et nimium seruiliter culta, (*a*) Scripturae

pturae S. autoritati praeferebat: Qua de re multorum querelae iam olim auditae sunt. (*b*)

(*a*) Non male Leibnizius, Philosophiam medii aeui cum hodierna comparans, *duplex Philosophorum seculum* constituit, unum *seruile*, *quale barbarum illud sub Scholasticis fuit, ubi et Aristoteli seruiebant ipsi, et Aristotelem uicissim in quibusdam sibi seruire cogebant, tormentis quasi quibusdam ita eum excarnificantes, ne quid religioni suae Christianae contraditceret:* alterum *nimium licentiosum*, *quale nostrum*, *cum ab uno extremo ad alterum homines delabuntur. Medium tenuere beati.* vid. Miscellanea Leibniziana, a Fellero ed. p. 180. n. LXXXV. Ad prius, siue seruile illud Philosophorum seculum, pertinet, quod Balaeus Centur. XIV. p. 220. narrat: Colonienses Theologos retulisse Aristotelem inter diuos, et librum typis euulgasse, de *salute Aristotelis* inscriptum, et alium, de uita et morte Aristotelis, in cuius calce statuerunt, *Aristotelem esse Christi in Naturalibus praecursorem*, *quemadmodum fuerit Iohannes in Gratuitis.* Conf. Rich. Montacutius in Apparat. I. §. 83. p. 39.

(*b*) Petrus Alliacus, seculo XIV. Theologus et Cancellarius Parisiensis, postea Epicopus Cameracensis, Cardinalis, in inuectiua contra Pseudopastores: *Nullum eis*, inquit, *Sacrae Scripturae studium*, *nullum diuinae sapientiae colloquium, sed tota erat eorum occupatio circa sapientiam huius mundi, quae est stultitia apud Deum etc.* Iohan Gerson Petri Alliaci discipulus, Lect. in Marcum: *deinde cur ob aliud appellantur theologi nostri temporis Sophistae, uerbosi et phantastici, nisi quia relictis utilibus et intelligibilibus, pro auditorum qualitate, transferunt se ad nudam Logicam uel Metaphysicam, nunc de intensione formarum, nunc de diuisione continui, nunc prioritates quasdam in diuinis, mensuras, durationes, instantia, signa naturae, et similia, in medium adducentes, quae, etsi uera essent et solida, sicut non sunt, ad subuersionem tamen magis audientium et irrisionem, quam ad rectam fidei aedificationem saepe proficiunt.* Nicolaus de Clemangiis in libello de studio Theologiae, quem Lucas Dacherius T. VII. Spicilegii sui inseruit: *Quocirca miror, Theologos nostri temporis paginas divinorum testamentorum ita negligenter legere, et in, nescio quarum satis sterilium subtilitatum Indagine, sua ingenia conterere, utque uerbis utar Apostolicis, languere circa quaestiones et pugnas uerborum, quod Sophistarum est, non theologorum.* Et post alia: *nunc autem plerosque uidemus Scholasticos sacrarum inconcussa testimonia Scripturarum tam tenuis aestimare momenti,*

momenti, ut ratiocinationem ab auctoritate ductam, uelut inertem et minime acutam, ſibilo ac ſubſannatione irrideant, quaſi ſint maioris ponderis, quae phantaſia humanae imaginationis adinuenerit. Quin ipſa Facultas Theologica Pariſienſis, in tractatu aduerſus Ioannem Monteſonum, anno 1387. edito, Thomam Aquinatem accuſat, quod *eius doctrina, in multis, innitatur auctoritatibus et rationibus Philoſophorum, et praecipue Peripateticorum; Nam in omnibus*, inquit, *etiam arduiſſimis, fidei articulis, et humanam rationem tranſcendentibus, ipſe utitur dictis Ariſtotelis, et immiſcet eius Philoſophiam doctrinae fidei. Hoc autem praebet occaſionem errandi etc.* Plura in hanc ſententiam collegerunt Ioh. Launoius in libro de uaria Fortuna Ariſtotelis Cap. X. et Ad. Tribechouius in ſingulari libro de doctoribus Scholaſticis, et corrupta per eos diuinarum humanarumque rerum ſcientia, ſuperiori a. 1719. Ienae recuſo.

XVII.

Denique, ne quid illuſionis deeſſet, nouae etiam VISIONES et reuelationes, uicem neglectae Scripturae S. in moderanda religione, Pontifici Romano praeſtiturae, acceſſerunt. Tales erant ſeculo XIII uiſiones mulierciularum Leodienſium, Iulianae, Iſabellae, et Euae, quarum auctoritate Vrbanus IV. anno 1264. feſtum corporis Chriſti feria V. poſt octauam Pentecoſtes, ſolenni circumductione et adoratione hoſtiae, quotannis celebrandum, inſtituit, licet non ante ſeculum XIV, poſt repetitas Pontificum Romanorum, nominatim Clementis V, et Ioannis XXII, ſanctiones, omnium conſenſu receptum. (*a*) Tales item ſeculo XIV, reuelationes ſanctae Brigittae, et S. Catharinae, quae cum praeter caetera, diuinitus ſibi patefacta, dicerent, *Dominum uelle, ut curia papalis Romam reduceretur*, Gregorio XI. ut anno 1377. ſedem ſuam Auenione Romam transferret, perſuaſerunt: quamuis hic, ſero errorem conſilii agnoſcens, paulo ante mortem ſuam praeceperit, *ut caueantur homines, ſiue uiri, ſiue mulieres, ſub ſpecie religionis, loquentes uiſiones capitis ſui, quia per tales ipſe ſeductus, dimiſſo ſuorum*

ratio-

rationabili consilio, se, et ecclesiam, traxerit ad discrimen schismatis imminentis. (*b*) Nihilominus Brigittae reuelationes non tantum Cardinales, quibus illas Gregorius XI anno 1377. et Vrbanus anno 1379. examinandas commiserunt, sed etiam Bonifacius IX, in Bulla canonisationis eius, et ipsum denique concilium Constantiense, quasi a Spiritu S. profectas, approbarunt; praeterea etiam nouum ordinem monasticum S. Saluatoris, a regula illi praescripta, quam Brigitta *diuinitus ab ore Iesu Christi sibi dictatam esse*, iactat, (*c*) ita dictum, confirmarunt. (*d*) Similiter Sanctae Catharinae, Senensi, quae praeter ceteras uisiones, familiare cum Christo commercium habuisse, imo nuptias, iussu Mariae, celebrasse, fingitur, Pius II, Pontifex Romanus, donum propheticum, ac diuinas reuelationes, tribuere, eaque de causa diuinos honores decernere, non dubitauit. (*e*) Quamuis iactatae illae reuelationes secum ipsae pugnent, et una interdum affirmet, quod altera negat: quemadmodum in dogmate ex Romanensium sententia non postremi momenti, de conceptione beatae Mariae usu uenit, quam Brigitta, ut immaculatam, Catharina, Dominicanorum partibus addicta, ut maculatam, sibi reuelatam esse, affirmauit.

(*a*) Leg. Acta sanctorum T. I. Mens. Aprilis p 903. et 359. seqq. Abrahamus Bzouius ad annum 1264. num. 3. ex Protestantibus, praeter Iohannis Zvvingeri singularem librum de Festo corporis Christi, Dalaeus de cultus religiosi obiecto, Cap. 17. p. 283. et Iacobi Basnagii Hist. Eccles. Lib. XVII. Cap. 10. p. 1002.

(*b*) Vid. Ioh. Gersonis Librum de Examine doctrinarum, P. II. Consid. III. et lib. eiusdem de examine spirituum, et de distinctione uerarum et falsarum uisionum, occasione Brigittae, per Decretum Concilii Constantiensis, consecrandae, scriptum. Adde St. Baluzii Notas ad uitas Paparum Auenionensium, speciatim in uitam Gregorii XI. p. 1224.

(*c*) Vid. Brigittae Regulam, Cap. XXIX.

(*d*) Leg. Hospinianus de monachatu Lib. V. Cap. 39.

(*e*) Leg.

(*c*) Leg. Pii II. *Bulla Canoniſationis*, ſiue libellus, qua Catharinam inter diuos retulit, apud Bzouium ad an. 1370. num. XX. et Breuiarium Romanae Eccleſiae, ad diem 30. Aprilis. Qui aniles pariter ac impias, ne dicam barbaras, de eius cum Chriſto, Soſpitatore noſtro, familiaritate, et nuptiis, fabulas requirit, adeat eundem Bzouium l. c.

XVIII.

In hac temporum caligine et peruerſitate, nemo miretur miſerandam illam, et plane pudendam, in ipſis Doctoribus publicis, Scripturae S. ignorantiam, de qua iam ſupra (*a*) Petrum Alliacum, Iohannem Gerſonem, et alios, conquerentes audiuimus, et quae, usque ad reſtitutam Euangelii lucem, tantum non omnium communis fuit. Exempli loco ſint Doctor ille Sorbonicus, qui plus quam quinquaginta annos natus, nouum teſtamentum nec nomine nouerat, (*b*) et in noſtrate Academia Andreas Caroloſtadius, qui ann. 1509. Doctor Theologiae, more adhuc pontificio, renunciatus, octauo demum poſt anno Scripturam S. ſerio legere coepit. (*c*) Plurimos alios huiusmodi Doctores Theologos tunc extitiſſe, qui intricis ſcholaſticis conſenuerint, et nunquam uel ſolum N. Teſtamentum perlegerint, Eraſmus Roterodamus, aliique teſtantur. (*d*) Itaque ab illa aetate alienum non eſt, quod de Alberto, ſub initium *Reformationis*, archiepiſcopo Moguntino et Magdeburgenſi, relatum legimus, quod cum annos. ſimili modo Albertus, Archiepiſcopus Moguntinus et Magdeburgenſis, cuius aetate initium emendandae religionis factum eſt, cum anno 1530. in comitiis Auguſtanis S. Codicem in menſa forte repoſitum, aperuiſſet, et folia quaedam perluſtraſſet, in haec uerba eruperit: *neſcio equidem, quid hoc libri ſit; illud uideo, omnia quae eo continentur, nobis aduerſa eſſe* (*e*)

(*a*) Vid. ſup. §. XIV.

(*b*) Robertus Stephanus in praefatione ad cenſuram Theologiae Pariſienſis, anno 1532. ed. *ante paucos annos quidam ex Sorbona ſic loquebatur:*

batur: Miror, quid isti iuuenes nobis semper allegent Nouum Testamentum. Par Dieu, ego plus habebam, quam quinquaginta annos, et nesciebam, quid esset Nouum Testamentum.

(*c*) Vid. Lutheri Colloquia Mensalia p. 9.

(*d*) Erasmus Rot. in Epistola Apolog. ad Martinum Dorpium.

(*e*) Leg. Sixt. Amama in Antibarbaro Biblico Lib. I. C. 7. praeter quem plura huiusmodi exempla collegerunt Calouius, in praefatione dedicatoria Bibliis Germanicis praemissa, Leusdenius in Philologo Hebraeo-Mixto, Diss. I. §. 4. et Kortholdus in Dedicat. Commentarii de lectione Scripturae in linguis uulgo cognitis.

XIX.

Post sacrorum emendationem, non defuerunt quidem, in ipso coetu Romanensium, docti quidam et nasutiores uiri, qui, exemplo Protestantium excitati, et necessitate, quam controuersiae cum his disceptandae imponebant, adacti, longe studiosius, quam per multa retro secula fieri consueuerat, sacrum codicem tractarent et exponerent, quin et eius lectione neminem prohibendum esse, contenderent: (*a*) sed publicus tamen et communis error, inde ab Hildebrandinis temporibus, quasi per manus traditus, ad hunc usque diem ita praeponderat, ut melior sententia non tantum curiae Romanae inuisa, sed et auctoribus suis periculosa sit. Nam indicis expurgatorii, ex decreto Tridentino (*b*) contra morem ueteris Ecclesiae (*c*) confecti, et auctoritate Pii IV. P. R. confirmati, (*d*) regula IV. sancit, ut qui sine singulari quodam Episcopi aut inquisitoris priuilegio, S. literas in lingua uernacula legerit, tantisper, *dum Codicem sacrum ordinario non tradiderit, peccatorum absolutionem percipere non possit.* (*e*) quin huius etiam priuilegii concedendi potestatem Clemens VIII. (*f*) et Gregorius XV. (*g*) episcopis ademerunt. Quorum decreta, etsi non parem ubique autoritatem obtinent, publicam

tamen et genuinam curiae Romanae ſententiam, inſtitutis Hildebrandinis adhuc conformem, declarant, et ad hunc usque diem, ubicunque Pontifici Romano iuſſa ſua exequendi poteſtas eſt, ſancte ſeruantur. Quae cauſa eſt, cur nouiſſime propoſitiones Quesnellianae, lectionem Scripturae S. cuiuis in lingua uernacula concedentes, a Clemente XI. hodierno Pontifice Rom. condemnatae ſunt, et ab omnibus, Conſtitutionem eius, cui initium eſt, *Unigenitus Dei Filius*, acceptantibus, condemnantur. Quamuis iam diu ante editam hanc conſtitutionem, plurimi Romanenſes interdictum illud, ut publicam eccleſiae ſuae legem, defendendum ſuſceperunt. (*b*) Neque uerum eſt, quod Laurentius Forerus (*i*) et alii, ad excuſationem eius, aiunt, lectionem Bibliorum tantum in uerſione uernacula uetari, in Latina autem, Graeca, et Hebraica lingua, omnibus liberam eſſe. Nam in regionibus inquiſitionis pontificiae tribunali ſubiectis, hodieque literarum, ſacrarum fontes adire, ſuſpectum, codicem Hebraeum poſſidere, haereticum, imo Iudaicum, haberi, harum rerum periti inter ipſosmet Pontificios et cordatiores quidem, non ſine diſſenſus ſui teſtificatione, confirmant. (*k*) Quid quod nouiſſime in ipſa Germania noſtra, Ieſuitae Moguntini lectionem Scripturae, ſine ulla exceptione, ut fontem omnium non modo haereſium, ſed et, quod uel cogitatu horrendum eſt, peccatorum, ipſiusque blaſphemiae, damnarunt. (*l*)

(*a*) Ex multis horum, Stephanum Baluzium, in notis ad Saluianum, Pariſ. 1684. ed. p. 399. Ludouicum Eliam du Pin, in diſſert. praeliminari in Biblia Lib. I. Cap. IX. p. 218, Richardum Simonium, in Bibliotheca Critica, Epiſt. XV. Paſchaſ. Quesnellium, in Hexaplis p. 4. exempli cauſa nominaſſe, ſuffecerit, qui lectionem Scripturae S. omnibus concedendam eſſe, non tantum affirmant, ſed et collectis ueterum Chriſtianorum teſtimoniis et exemplis, data opera demonſtrant.

(*b*) Concilii Trident. ſeſſ. XVIII.

(*c*)

(*c*) In ueteri Eccleſia, libri inutiles, profani et apocryphi notari quidem, et a bonis, eccleſiaſticis, atque Canonicis, diſtinguí ſolebant, exemplo notiſſimi illius decreti Gelaſiani, quod anno 494. in concilio Rom. confectum eſſe creditur, uid. T. IV. Concil. p. 1260. At ſatis habuerunt epiſcopi, indice huiusmodi lectorem monuiſſe, ne carbones pro auro ſibi uendi, pateretur, cenſuras uero et poenas, in eos, qui libros apocryphos et damnatos legerent, non conſtituerunt.

(*d*) Per literas datas Romae die 24. Martii ann. 1564. quae extant in ſept. decret. Lib. V. Tit. IV. Cap. *Dominici.*

(*e*) Verba integra legis Papalis, quae inter decem regulas, indici librorum prohibitorum Tridentino praemiſſas, quartum locum tenet, haec ſunt: *Cum experimento manifeſtum ſit, ſi ſacra biblia uulgari lingua paſſim ſine diſcrimine permittantur, plus inde, ob hominum temeritatem, detrimenti, quam utilitatis, oriri: hac in parte iudicio Epiſcopi, aut Inquiſitoris, ſtetur, ut cum conſilio Parochi, aut Confeſſionarii, Bibliorum a Catholicis auctoribus uerſorum lectionem in uulgari lingua eis concedere poſſint, quos intellexerint ex huiusmodi lectione non damnum, ſed fidei atque pietatis augmentum, capere poſſe: quam facultatem in ſcriptis habeant. Qui autem abſque tali facultate, ea legere, ſeu habere, praeſumſerint; niſi prius Bibliis ordinario redditis, peccatorum abſolutionem habere non poſſit: Bibliopolae uero, qui praedictam facultatem non habenti Biblia idiomate uulgari conſcripta uendiderint, uel aliis quouis modo conceſſerint, librorum pretium amittant, aliisque poenis, pro delicti qualitate, eiusdem epiſcopi arbitrio ſubiaceant.*

(*f*) In animaduerſione ad regulam IV. indicis expurgatorii, an. 1595. recogniti, cuius uerba recitat Vſſerius de Scripturis et ſacris uernaculis pag. 189.

(*g*) Per conſtitut. datam Romae die 30. Dec. 1612. quae extat in Bullario, et concilii Tridentini actis, in editione Colonienſi, ſubiuncta eſt: ubi Gregorius XV. *de Apoſtolicae poteſtatis plenitudine, omnes ac ſingulas licentias legendi et habendi libros quoscunque, ob haereſin, uel falſi dogmatis ſuſpicionem, uel alias quomodolibet prohibitos, quibuscunque perſonis cuiuscunque gradus uel conditionis exiſtentibus, a ſe, ſeu praedeceſſoribus ſuis Romanis Pontificibus conceſſas, reuocat, caſſat et annulat.*

(*h*) Exempli loco ſint Coſterus in Enchiridio Controuerſiarum p. 54. ubi laico, legenti Scripturam S., dictum uult: ne ſutor ultra crepidam.

pidam. Sylueſter Petra Sancta S. I. in Notis ad epiſtolam Molinaei ad Balzacum p. 179. ubi: *merito*, inquit, *Apoſtolica ſedes uoluit, ne Biblia S. edantur ſermone uulgi, et ſatis conſtat, hac potiſſimum arte ſuos plebi errores initio Lutherum in Saxonia propinaſſe*, et praeter ceteros, a Kortholdo, de lectione Scripturarum in linguis uulgo cognitis, recenſitos, Nicolaus le Maire, in ſingulari libro, cui titulus: Sanctuarium profanis occluſum, a D. Iohanne Frid. Mayero confutatus in Diſſert. Lipſiae 1714 recuſis.

(*i*) Laurentius Forerus in Libello: *Nichts iſt zu den Augen guth* p. 58. *die Heil.* Bibel *wird keinen in Lateiniſcher, Griechiſcher und Hebräiſcher Sprache zu leſen verbothen.*

(*k*) *Fleury Hiſt. Eccleſ. T. XIX. Diſc. VI. p. 24. On n'y trouve* (dans les pays d' inquiſition) *l' Ecriture Sainte, qu'en latin, non en langue vulgaire, et c' eſt ſe rendre ſuſpect de Iudaisme que de l' avoir en Hebreu.*

(*l*) In Confeſſione fidei Romano Catholicae, nomine Illuſtriſſimi Principis Mauritii VVilhelmi, Ducis Saxoniae, an. 1715. Moguntiae ed. Articulus VII. ita habet: *Wir bekennen und glauben, daß das Leſen der Bibel die Verwirrung aller Rotten und Sünden, wie auch die Quelle der Gottes-Läſterung ſey.*

XX.

Praeterea ſtudium ſcrutandi Scripturas et mentem Domini in iis perueſtigandi, tantum non prorſus tollit, aut ſaltem inutile reddit, decretum Tridentinum, per quod uera, imo authentica, S. literarum interpretatio, ſub nomine Eccleſiae, ſoli pontifici Rom. aſſeritur, et quicquam ab huius ſententia diuerſum inde eruere nefas iudicatur. (*a*) Secundum haec placita, ſenſus Scripturae non ex ipſa Scriptura S., ſed ex curiae Romanae placitis petendus eſt, (*b*) etiam ſi haec illam pro lubitu mutet, augeat, uel imminuat. (*c*)

(*a*) Concil. Trident. Seſſ. IV. Decret. II. *Praeterea ad coërcenda petulantia ingenia, decreuit, ut nemo ſuae prudentiae innixus, in rebus fidei et morum, ad aedificationem doctrinae Chriſtianae pertinentium, Sacram Scripturam ad ſuos ſenſus contorqueat, aut contra eum ſenſum, quem tenuit, et*

et tenet, ſancta mater Eccleſia, cuius eſt iudicare de uero ſenſu et interpretatione ſanctarum Scripturarum, reliqua.

(*b*) Sic Hoſius, de uerbo Dei, *ſi quis*, inquit, *habeat interpretationem Romanae Eccleſiae, etiamſi non uideat, quomodo cum textu uel conueniat, uel pugnet, habet tamen ipſiſſimum uerbum Dei.* Conf. Chemnitii Examen Concilii Trid. p. 5. Coecus uero ſit, qui non uideat, quam abſurde illi, qui non eſt autor Scripturae S., authentica eius interpretatio tribuatur.

(*c*) Secundum hanc doctrinam, illuſtris Princeps Saxon. Mauritius VVilhelmus, Pontificia ſacra amplexurus, nuper profiteri iuſſus eſt: *Daß der Pabſt Macht habe die Schrifft zu ändern, auch nach belieben zu mindern, und zu mehren.* Vid. Vita M. VV. p. 472. Adeo parum curia Romana moratur anathema Apoſtolicum, aliud Euangelium et a Biblico diuerſum, annunciaturis dictum, Gal. I. 8. adeo parui aeſtimat praeceptum diuinum, ne quid addatur uerbo eius, uel detrahatur, Deut. IV, 12. 32.

XXI.

Idem Concilium Trident. TRADITIONES, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, h. e. omnem errorum dogmaticorum, pariter ac abuſuum in corrupta diſciplina Eccleſiaſtica, ſentinam eo tempore in Eccleſia Rom. receptam, et ex barbarie medii aeui traductam, cuius expurgatio et emendatio tot ſeculorum uotis expetita fuerat, *tanquam uel oretenus a Chriſto, uel a Spiritu S. dictatas, et continua ſucceſſione*, (quae ab Hildebrandinis potiſſimum temporibus initium ſumpſit) *in Eccleſia Catholica* (potius Romana) *conſeruatas non modo retinendas cenſuit, ſed etiam pari pietatis affectu, et reuerentia, cum ipſa Scriptura S., ſuſcipiendas et uenerandas eſſe*, ſanxit, omnibusque diſſentientibus anathema dixit, (*a*) nouo plane exemplo, et ante ſeculum illud inaudito. (*b*) Quo conſilio id decretum fuerit, Iac. Payua Andradius, non minima illius conſilii pars, aperte indicat, quia uidelicet Scripturae S. autoritate pro placitis Eccleſiae Romanae pugnare, ſit cauſam eius aduerſariis prodere. (*c*)

(*a*) Vide Decretum I. Seſſ. IV. Tridentinae, die V. April. an. 1546. habitae; quod ſecuti Alb. Hungerus, et Iac. Gretſerus, eorumque ſocii, in colloquio Ratisbonenſi, an. 1601, hanc theſin ſibi tuendam ſumſerunt: *Eſt quidem Scriptura S. norma infallibilis, uerum nec ſola, nec unica: ſed praeter hanc neceſſario admitti debent Traditiones et Eccleſiae definitiones, doctorumque orthodoxorum conſenſus*, in Actis Colloquii Ratisbon. Seſſ. I. pag. 18.

(*b*) Etſi Traditionum non ſcripturarum auctoritate iam olim, praeter Synagogam Phariſaicam, haeretici quidam, et potiſſimum iconolatrae, inde a ſeculo VIII, errores ſuos, S. Scripturae potrocinii deſtitutos, defendere ſtuduerunt, nemo tamen Chriſtianorum, ante ſeculum XVI, illas cum S. Scriptura aequare, nedum hanc illis poſtponere, auſus eſt. Sed cum uiderent Papatus defenſores, ſe ex hac Lutheri ſententiam refutare non poſſe, traditiones in ſubſidium uocarunt, et ab eo tempore, de ſacris literis, uelut cauſae ſuae aduerſis, tam abiecte ſentire et loqui coeperunt, ut hoc nomine craſſiſſimam medii aeui barbariem longe ſuperarint. Praeluſit concilio Tridentino ſynodus Prouincialis Senonenſis in Gallia, an. 1528. aduerſus Lutherum habita, cuius decretum V. de Traditionibus ita ſtatuit: *Oportet itaque nos auctoritati Patrum, conſuetudinique maiorum, usque ad tantum tempus, per tantam annorum ſeriem, protelatae, etiam non percepta ratione, credere, eamque, ut antiquitus tradita eſt, iugi obſeruantia ac reuerentia cuſtodire. Quam, ſi quis eo praetextu pertinacius reiiciat, quod non legitur in Scripturis ſacris, ut haereticus et ſchiſmaticus habeatur.* Eadem plane mens et ſententia eſt concilii Tridentini, licet hic, ut ex comparatione patet, paulo tectius propoſita. leg. Chriſtiani Dreieri diſp. IV. aduerſus Pontificios de ſufficientia Scripturae ſacrae p. 74. ſeqq.

(*c*) Andradius, apud Chemnitium Exam. Conc. Trid. p. 6. ubi *communem traditionis eccleſiaſticae ſententiam, Scripturae certam inflexibilemque amuſſim eſſe*, affirmarat, addit: *Si huius docrinae memores fuiſſemus, haereticos ſcilicet non eſſe informandos, uel comuincendos, ex Scriptura, meliori ſane loco eſſent res noſtrae. Sed dum, oſtentandi ingenii et eruditionis gratia, cum Luthero in certamen deſcenditur Scripturarum, excitatum eſt hoc, quod proh dolor uidemus, incendium.*

XXII.

Quicquid uero tandem Romanenſes de Scriptura S. et de traditione, ſiue, ut ipſi loquuntur, de uerbo Dei ſcripto, et non ſcripto, dicis cauſa, iactitent, re ipſa illi, qui ſincere curiae Romanae placita ſequuntur, nullum aliud doctrinae et fidei ſuae fundamentum agnoſcunt, quam Pontificis Romani ſententiam. (*a*) Hanc diuinam, hanc infallibilem, fingunt, (*b*) ab hac ipſius Scripturae S. auctoritatem ſuſpendunt, (*c*) huic in omnibus coeca fide aſſentiendum, coeco obſequio obtemperandum eſſe, contendunt, (*d*)

(*a*) Ingenue, ex ſectae ſuae ſententia. Abr. Bzouius in Praefat. libri de Romano Pontifice: *Papa eſt Catholicae fidei conditor, et ſacrorum dogmatum demiurgus, cuius praeſtantia iuxta ac autoritas eſt baſis dogmatum*, et Bartholdus Nihuſius, cum in ſua arte noua, multa de Pontificis auctoritate magnifice praedicaſſet, addit: *Quid ſodes, adhaec tuus codex pictus?* (Scripturam ſcil. innuens) quae, eodem loco, ipſi, *nihil penitus eſt, niſi mortua et ſuſpecta litera, in libro, condita, a meris hominibus, et partim aperte, ut erat Dauid, partim etiam occulte facinoroſis.* Vid. Calixti digreſſionem de arte noua Nihuſiana Num. XIX. Eodem pertinet impia illa uox P. Fabricii, Romae, apud S. Andream, d. III. Auguſti A. 1583. audita: *Haeretici ſemper haeretica contra nos urgent Biblia, nos Biblia habemus Pontificem Romanum, quem ſequentes errare et decipi non poſſumus. Papa enim ſe ipſum interpretari poteſt. Biblia autem nequaquam. Ideo tutius illius decretis, quam huius obſcuritatibus, confidere poſſumus.* Hinc illi ipſi collocutores Ratisbonenſes, qui Scripturae aliquam ſaltem normae uim uideri uolebant tribuiſſe, cum de iudice controuerſiarum religionis ſententiam ſuam profiteri iubentur, *iudicem generalem, legitimum, ordinarium, omnium controuerſiarum, quaecunque poſſunt oriri in negotio religionis, Pontificem Rom. eſſe*, affirmant, *ſiue ſolus definiat aliquid, ſiue definiat cum concilio generali*, et addunt: *iſte iudex ſemper eſt infallibilis, quando ex cathedra definit, ut Pontifex, nulli errori obnoxius, et ſperamus, hoc die, et hac ipſa hora, hoc munere iudiciario fungi ſanctiſſimum Dominum noſtrum Clementem VIII. Pontificem Optimum Max.* uid. Acta Colloquii Ratisbon. Seſſ. I. p. 33.

(*b*) Quo-

(*b*) Quousque Pontificii infallibilitatem illam Papalem extendant, superiori seculo potissimum declarauit disputatio Iesuitarum Parisiensium, qua in collegio Claromontano an. 1661. huiusmodi theses publice defendendas proposuerunt: *Christum nos ita caput agnoscimus, ut ipsius regimen, dum in coelos abiit, primo Petro, deinde successoribus, commiserit, et eandem, quam ipse habebat, INFALLIBILITATEM concesserit, quoties ex cathedra loquerentur.* et: *datur ergo in ecclesia Rom. controuersiarum fidei iudex infallibilis, etiam extra concilium generale, tum in quaestionibus iuris, tum FACTI. Vnde post Innocentii X, et Alexandri VII, constitutiones, FIDE DIVINA credi potest, librum, cui titulus est Augustinus Iansenii, esse haereticum, et quinque propositiones ex eo decerptas esse Iansenii, et in sensu Iansenii damnatas.* Vbi sententiam Pontificis Rom. non tantum in quaestionibus iuris, sed et *facti*, adeoque etiam in rebus Scripturae S. auctoritate non definitis, non tantum cum concilii generalis consensu, sed et extra concilium ex cathedra pronunciatam, ut infallibilem, et non minus, quam ipsius Christi doctrinam, *fide diuina* amplectendam, commendare non dubitant. leg. Heideggeri Histor. Papatus §. CCLXXVII. p 440. seq. Ac tametsi haec doctrina ab ipsis Theologis Parisiensibus, ut *haeretica et idololatrica*, reiecta est, omnium tamen eorum, qui gratiam curiae Romanae profundere nolunt, assensu comprobatur, quid quod in ipso regno Galliae, praeter Iesuitas, etiam episcopi nonnulli patrocinium eius susceperunt. Vide e. g. Archiepiscopi Cameracensis, paucis abhinc annis defuncti, instructiones pastorales, et scriptum illis oppositum, sub titulo: Iustification du silence respectueux, ou response aux instructions pastorales etc. an. 1707. editum, cuius summa exhibetur in Actis Erudit. supplem. Tom. V. p. 37.

(*c*) Originem erroris, quo Scripturae S. auctoritas a decreto Papali suspenditur, eiusque progressum usque ad seculum XV, supra §. XIV, exposuimus. Postea, cum D. Lutherus, indulgentiarum papalium mercatum oppugnans, Scholasticis doctoribus canonistis parum, S. uero literis plurimum se tribuere, scripsisset, in epistola ad Hieronymum, Episcopum Brandenburgensem, an. 1518. data T. I. Epist. f. 64. Ioh. Eckius in Enchiridio Locorum communium, aduersus Mart. Lutherum, de Ecclesia et eius auctoritate C. I. sub propositione IV, ad obiectionem III. respondet, *Scriptura non est authentica, sine auctoritate Ecclesiae*, et in ora chartae addit: *Achilles pro Catholicis*, tandemque concludit: *ita igitur patet, Ecclesiam antiquiorem Scriptura, neque Scripturam authenticam esse,*

nisi

nisi Ecclesiae authoritate. Similiter Syluester Prierias ordini Dominicano adscriptus, in Gymnasio Rom. quondam Theologiae Professor et Palatii Apostolici Magister, sub initium Dialogi, quem Lutheri conclusionibus opposuit: *quicunque*, inquit, *non innititur doctrinae Romanae Ecclesiae, et Romani Pontificis, tanquam regulae fidei infallibili, a qua etiam S. Scriptura robur trahit et auctoritatem, haereticus est*; et paulo post ad conclusionem Lutheri respondet: *Indulgentiae auctoritate Scripturae nobis non innotuere, sed auctoritate Ecclesiae Romanae, Romanorumque Pontificum, QVAE MAIOR EST.* Plura in hanc sententiam Pontificiorum loca uide apud Gerhardum, Confess. Cathol. Lib. II. spec. P. I. art. I, C. V.

(*d*) Si quis recentissima coeci illius assensus et obsequii specimina desideret, legat instar omnium literas Episcoporum Italicorum, Germanicorum, Hispanicorum, Lusitanicorum, Polonicorum, Hungaricorum et Belgicorum, quibus famosissimam hodierni Pontificis Rom. Clementis XI, constitutionem *unigenitus* approbarunt, a Cardinali de Bissy et Episcopo Nemausiensi colleca, et sub titulo: *Temoignage de l' Egliſe universelle en faveur de la Bulle unigenitus*, Bruxellis anno 1718. editas. Nam in his e. g. Episcopus Panormitanus p. 62. *intellectum captiuare iubet, ad Petri cathedrae obsequium*, Archiepiscopus Treuirensis p. 94. *infallibilitatem papalem semper religionis Catholicae fundamentum fuisse*, affirmat, Academia Colonienſis, p. 162. *sufficere*, censet, *quod Papa loquatur, et Ecclesia taceat.* Cum ceteris uero omnibus de obsequii huius gloria certare uidentur Praesules et Clerici Hispanici, inter quos Archiepiscopus Caesaraugustanus, pag. 200. postulat, ut constitutio illa *credatur esse Scriptura diuinitus inspirata*, episcopus Pacis Augustae, (Badaioz) pag. 272. miratur, quemquam dubitare de eo, quod Papa definiuerit, cum Deus ipse uoluerit, ut *lex egrediatur e Sion*, hoc est, ut ipse interpretatur, ex Ecclesia Romana. Canonici Hispalenses p. 288. se *coeca fidei obedientia* decreta papalia amplecti, gloriantur, ut cetera taceam.

XXIII.

Hunc talem Scripturae S. neglectum, iis, qui Christianorum nomine utuntur, indignum, religioni perniciosum, et uere barbarum esse, res per se ipsa loquitur, et apud eos certe, qui praeiudicatis opinionibus non prorsus oc-

coecati sunt, probatione non indiget. Quae cum ita sint, merito mireris, nec hodie, in tanta ueritatis luce, deesse, qui placita hactenus recensita adhuc retineant, et tanquam πατροπαράδοτα, defendant, et ea improbantes nouitatis accusent, imo haereseos damnent, atque adeo dogmata et instituta obsoleta, quae per foedam medii aeui barbariem inuecta sunt, cum uere antiquis, h. e. propheticis et Apostolicis pessime confundant. In horum gratiam tria potissimum consideranda proponemus: *primum*, quod haeresis illa secum ipsa pugnet, et per id, quo finem sibi propositum obtinere studet, eum quam maxime destruat ac euertat, *alterum*, quod a moribus et institutis ueterum, et ueri nominis Christianorum longissime discedat, *tertium*, idque praecipuum, quod uoluntati diuinae in S. literis reuelatae, unicae illi religionis normae, prorsus aduersetur.

XXIV.

Primum, inquam, haec dogmata secum ipsa pugnant, et finem, propter quem inuenta atque excogitata sunt, ut nimirum Pontificis Romani summa in orbe Christiano auctoritas, et quiduis pro arbitrio statuendi potestas, quam iure diuino ipsi conuenire, aiunt, penitus destruunt. Nam si potestatis huius originem et fundamentum requiras, si rationem tibi reddi, postules, cur Scripturam S. illi pro lubitu exponere, et ad sensum suum torquere liceat? cur coeco obsequio in sententiis ex cathedra Petri pronunciatis sit acquiescendum? cur, et unde, epistolae decretales parem, imo maiorem, ac ipsi libri sacri, auctoritatem habeant? cur illarum lectio omnibus concedatur et commendetur, horum negetur? cur noua Scholasticorum dogmata, cur uana mulierc ularum somnia, sanctae sedi probata, pro diuinis et canonicis amplecti debeamus? illico eos prouocare, uideas, ad claues regni coelorum, Petro et successoribus eius

a Chri-

a Christo traditas, secundum Matth. XVI, et ad pascuam ouium, ipsius curae commissam, Ioh. XXI. Itaque uel inuiti, neque opinantes, concedunt, primum et ultimum fidei principium esse Scripturam S. a qua ipsa illa Ecclesiae, et Pontificis Romani, potestas pendeat, quantamcunque demum eam faciant, siue, quod eodem redit, principium Pontificium, *quicquid Papa affirmat, id uerum est, quicquid negat, falsum est*, hoc principio, tanquam priori, et eminentiori, contineri: *Quicquid Scriptura S. affirmat, id uerum, quicquid negat illa, falsum est.* Si quis contra ea, Scripturae S. auctoritatem a Pontifice Romano, siue ab Ecclesia, pendere, aut huic liberum esse, dicat, quocunque modo uelit, eam explicare, et in sententiam suam, obtorto quasi collo, trahere, is aperte auctoritatem diuinam Ecclesiae et Pontificis Romani tollit, ac re ipsa nihil aliud docet, quam, illum suo ipsius arbitrio, nullo iure diuino, talem potestatem sibi arrogasse. (*a*) Scilicet hoc modo Papa non aliam, imo ne eam quidem, potestatem habebit, quam olim apud Romanos, adhuc paganos, Pontifex Maximus, iure humano, et ciuitatis auctoritate, constitutus, et religio, ad eius nutum praescripta, uel immutata, non diuina, aut Christiana, sed humana erit, atque adeo pagana nec melior, nec augustior. Porro secundum haeresin illam, Pontificii Ecclesiae suae simul et tribuunt uerbum Dei, et auferunt. Tribuunt, dum se, et quidem solos, uerbum Dei habere, dicunt, clamant, pugnant: et re ipsa tamen uerbum hominis pro uerbo Dei amplectuntur, et in istud fidem suam resoluunt, dum in sententia Pontificis Romani unice acquiescunt. Hoc uero quid aliud est, quam auctoritatem omnem uerbi diuini tollere, et ex homine Deum facere, ac non modo haeresin, sed impietatem et idololatriam horrendam committere? (*b*)

(*a*) Recte D. Lutherus, aduersus Syluestrum Prieriatem disputans, qui Scripturam S. *robur suum a Papa accipere*, scripserat: *Satanas iste*, inquit, *Scripturas per hominem roborat. Quid est Antichristus, si talis Papa non est Antichristus? Quanquam ego libens admittam Syluestro miserabili, ut scriptura robur a Papa accipiat. Haec enim erit una uia negandae tyrannidis papalis, et semel euertendae. Cum enim Papatum ex Scriptura statuant, et Scripturae auctoritatem, per auctoritatem Papae eleuent, iam Papa nullo testimonio nitetur, nisi sui ipsius, nec iure diuino, sed suo proprio stabit.* Tom. I. oper. Ienens. Lat. fol. 62.

(*b*) Quam male inter se cohaereant fides uerbo Dei, et sola Pontificis Romani, quasi infallibilis, auctoritate nixa, post D. Lutherum l. c. nemo luculentius demonstrauit, quam Theologi Parisienses, in scripto Thesibus Iesuiticis de infallibilitate papali an. 1661. opposito, cui titulus: *Noua haeresis Iesuitarum, defensa publice Parisiis in Collegio Claromontano, thesibus impressis d. 12. Decembr. 1661, denunciata uniuersis Episcopis Galliae.* Digna sunt eorum uerba, quae hic legantur: *Quicunque*, inquiunt, *dicit, rem non reuelatam a Deo, nec diuino testimonio comprobatam, qualis uidelicet est: num propositiones quaedam sint recentioris horum temporum auctoris? esse obiectum fidei diuinae, quia papa dicit; adeoque pro fidei suae fundamento substituit auctoritatem humanam et uerbum hominis, ille fidem euertit, uel ex Papa facit Deum, et ex uerbo eius uerbum diuinum, ac sanctam Scripturam: id quod non haeresis tantum est, sed horrenda impietas et species idololatriae. Idololatria enim non in eo solum consistit, cum homini tribuitur nomen Dei, sed magis adhuc consistit in eo, quando qualitates Deo propriae attribuuntur homini, et eiusmodi exhibentur honores, qui ei soli competunt. Iam uero ista totius nostri spiritus atque luminis subiectio, quae est inclusa in actu fidei, nihil aliud est, quam adoratio, quam exhibemus primae ueritati: adeoque qui eam reddit uoci hominis, quemcunque etiam is locum habeat in Ecclesia, seu quicunque dicit, credere se fide diuina, quod tamen propterea saltem credit, quia homo dixit, is hominem substituit in locum Dei, transfert in creaturam honorem non nisi soli creatori debitum, et quantum in se est, nihil aliud facit ex uicario Iesu Christi, quam speciem idoli.*

XXV.

Sed ut contraria oppositorum ratio tanto clarius perspiciatur, huius barbariei tenebras non solum cum luce sacrarum

crarum literarum, et uoluntate diuina in iis reuelata, ſed etiam cum meliori ſententia, et inſtitutis ueteris Eccleſiae, praeſcriptum uerbi diuini ſecutae, comparabimus, atque adeo taedium ex tam horridi et inficeti erroris recenſione ortum, iucundo quodam politioris aetatis aſpectu diluemus. Quamuis enim fides noſtra nullius hominis auctoritate nitatur, habent tamen exempla praeceptis conformia, neſcio quid, ad mouendum et perſuadendum, efficaciae, dum in iis, quorum guſtus praeiudicatarum opinionum aſuetudine non eſt corruptus, eundem, quem ipſi habemus, ueritatis ſenſum animaduertimus. Ac primo quidem lectionem Scripturae S. contra morem ueteris Eccleſiae, nouo plane exemplo, Chriſtianis ſeculo XI. interdici coepiſſe, ipſummet Hildebrandum Papam, primum huius interdicti autorem, ſupra confitentem uidimus, ut qui contrariam ueteris Eccleſiae praxin referat inter ea, quae *uiri religioſi patienter tulerint, et primitiua eccleſia diſſimularit, poſtmodum ſubtili examinatione corrigenda.* (*a*) At noua iſthaec correctio non tantum perpetuae ueteris Eccleſiae conſuetudini, ſed etiam uoluntati diuinae aperte repugnat. Nam ex quo uerbum Dei literis mandari coepit, lectio et notitia eius non ad ſolos ſacerdotes reſtricta, ſed omnibus ad coetum ueri Dei pertinentibus, ſine exceptione, conceſſa et commendata eſt. (*b*) Neque tantum Deus, in locis cultui publico deſtinatis, quemque eas audire, ſed et domi legere iuſſit. (*c*) Lectionem publicam Scripturae S. in captiuitate Babylonica aliquandiu intermiſſam, aut ſaltem negligentius peractam, Esdras, poſt reditum Iudaeorum, renouauit. (*d*) Et ab hoc tempore potiſſimum inualuit conſuetudo, in ſynagogis, ſingulis Sabbathis, Moſen legendi, (*e*) ita quidem, ut portio quaedam primo Hebraice praelegeretur, deinde uernacule repetereretur. (*f*) Hanc conſuetudinem, a piis et religioſis Iudaeis publice priua-

priuatimque ſeruatam, (*g*) Chriſtus et Apoſtoli non ſuſtulerunt, aut corrigendam putarunt, ſed potius, ut ad ueram ſapientiam utiliſſimam, approbarunt. Nam ipſe ſoſpitator noſter publicis illis lectionibus ordinarie ſingulis Sabbathis interfuit, et Scripturae S. ſcrutinium, etiam in hoſtibus ſuis probauit, neque abnuit, quod uia ad uitam aeternam inde cognoſcatur. (*i*) Similiter Paulus in Timotheo laudat, quod more Iudaeorum, a puero ſacrarum literarum notitia imbutus ſit, (*k*) addita ratione, ad omnes aeque pertinente, quod illae poſſint σοφίσαι εἰς σωτηρίαν, hoc eſt, ſapientiam ſalutarem, ſiue ſcientiam ſalutis aeternae conſequendae, impertiri. Poſtea, cum ipſimet Apoſtoli mentem Domini literis proderent, tantum abeſt, ut ſcripta ſua quenquam celare uoluerint, ut omnibus, in quouis loco, promiſcue ea deſtinarent, ac dedicarent, (*l*) et palam coram omnibus legere iuberent, (*m*) et ad id ſaepius faciendum, propoſito ſummae utilitatis fructu, inuitarent. (*n*)

(*a*) Vid. ſupra §. IX.

(*b*) Clariſſimum extat Dei praeceptum Deut. XXXI. 11: *Cum uenerit omnis Iſrael ad comparendum coram Iehoua, in loco, quem elegit Deus, leges legem hanc CORAM OMNI Iſraële in auribus eorum*, et u. 12: *congrega populum, uiros et mulieres, et infantes, et peregrinum tuum, qui in portis tuis, ut audiant, et ut diſcant, timeantque Iehouam Deum ueſtrum, et cuſtodiant facere omnia uerba legis huius.*

(*c*) Deut. VI. 6. ſeqq. et Cap. XVII. 18. Pſalm. I. 1. 2. Eſaiae XXXIV. 16.

(*d*) *Nam attulit Eſdras legem ante coetum, a uiro usque ad foeminam, legitque in ea a luce, usque ad medium diei, coram uiris et mulieribus, et intelligentibus, Aures autem uniuerſi populi attentae erant ad librum legis.* Nehem. VIII. 2. *Poſtea Ieshua, et Bani et Sherebia, Leuitae, intelligere fecerunt populum legem, ita, ut legerint in libro, in lege Dei, diſtincte, et propoſuerint ſenſum, et intelligere fecerint Scripturam.* u. 7. et 8.

(*e*) Act.

(*e*) Act. XV, 21. Iſtiusmodi enim Synagogarum Iudaicarum originem a lectione illa Scripturae S. publica, Esdrae auſpicio renouata, communiter repetunt Spencerus de legibus Hebr. Lib. I. c. 4. § 10. C. Vitringa de ſynagoga uetere L. I. P. 2. c. 9. 10. ſeq. Had. Relandus, Antiq. Sacr. P. I. c. 10. et nouiſſime Humph. Prideaux, in the Hiſtory of the Iews, P. I. Lib. VI. p. 295. ed. Lond.

(*f*) Leg. Eliae Leuitae praefationem in Methurgeman, et conf. H. VVarthoni Auctarium Hiſtoriae dogmaticae Vſſerianae, p 314. Idem teſtatur Philo Lib. I. de Iudaeorum egreſſu ex AEgypto, apud Euſebium, Praeparat. Euangelicae lib. VII. C. VIII, ubi, *e ſacerdotibus*, inquit, *uel ſenioribus aliquis ſacras leges palam recitans omnes ſigillatim exponit.*

(*g*) Vid. e. g. Luc. IV. 16. ſeq. Act. VIII. 26. XVII. 10. ſeqq.

(*b*) Luc. IV, 16.

(*i*) Ioh. V. 39.

(*k*) II. Tim. III. 15.

(*l*) Rom. I. 7. Galat. II. 2. I. Corinth. I. 2.

(*m*) I. Theſ. V. 27. *Adiuro uos per Dominum, ut recitetur haec epiſtola, omnibus ſanctis fratribus:* et Col. IV. 16. *cum recitata fuerit haec epiſtola, facite, ut et in Laodicenſium Eccleſia recitetur, et eam, quae ſcripta eſt ex Laodicea, uos quoque legatis.* Huc refer inſcriptiones omnium fere epiſtolarum Apoſtolicarum.

(*n*) Leg. Rom. XV. 4. Colloſ. III. 16. II. Timoth. III. 15. Eph. V. 17. II. Pet. I. 19.

XXVI.

Praecepti et conſilii huius Apoſtolici memores, primi Chriſtiani, uerbum Dei maximi fecerunt, et diuina, quae inde hauritur, ſapientia abundarunt, et neminem prorſus eius lectione prohibuerunt. (*a*) Praecipue die Dominica (*b*) publicae ſcriptorum Propheticorum et Apoſtolicorum praelectioni, eodem fere modo, ac olim Iudaei, uacabant. (*c*) Sed et domi, (*d*) pro ſe quisque ſedulo ex lectione Scripturae proficere ſtudebat, idque ad officium ueri Chriſtiani

ſtiani pertinere, exiſtimabat. (*e*) Hoc illud eſt, quod ſpeciatim de Corinthiis. Clemens Romanus, (*f*) de Philippenſibus Polycarpus, (*g*) uiri Apoſtolici, praedicant. Hoc omnes germani Apoſtolorum ſucceſſores, non tantum ordinis ſacri hominibus, ſed etiam plebeiis, (*h*) non tantum prouectioribus, ſed etiam tyronibus et catechumenis, (*i*) non tantum adultis, ſed etiam pueris, (*k*) non tantum uiris, ſed etiam foeminis, (*l*) commendarunt, et qui nondum Chriſtiana religione imbuti erant, eos hanc ex ipſa Scripturae S. lectione addiſcere iuſſerunt: (*m*) multo aliter, ac ii, qui medio aeuo, paganis, ad ſacra Chriſti conuertendis, Scripturam S. non modo non commendarunt, ſed et per uim armorum potius, (*n*) quam doctrinae efficacia, conuerſis, in lingua uernacula legere, uel audire, interdixerunt. (*o*) Contra ea, more ueteris Eccleſiae, lectionis Scripturae S. neglectio Chriſtiano cuicunque uitio uertebatur, (*p*) et contemtus illius, quaſi ſuperuacuae, aut non admodum utilis, prorſus ut peccatum diabolicum, condemnabatur. (*q*) Actum agerem, ſi pluribus uterer teſtimoniis, in re tam euidenti, et uno omnium ueteris Eccleſiae doctorum conſenſu confirmata, (*r*) non neceſſariis, quae praeſertim alii iam ex inſtituto collegerunt. (*s*) Itaque pauca, et illuſtriora quaedam, ſaltem exempli cauſa, attigiſſe ſufficiat.

(*a*) Secundum Apoſtoli praeceprum Col. III. 16.

(*b*) Theophilus Antiochenus, in lib. II. ad Autolycum: *Si quis ea ſcire geſtit, Prophetarum ianuae patent; hos legat accedens mente pura, et exacte ueritatem ipſam cognoſcet.* Irenaeus II, 46. *uniuerſae Scripturae, et Propheticae et Euangelicae, in aperto, et ſine ambiguitate, et ſimiliter ab omnibus audiri poſſunt.*

(*c*) Iuſtinus Martyr, in Apologia ad Antoninum Pium p. 98. *Solis, qui dicitur, die, omnium, qui uel in oppidis, uel ruri degunt, in eundem locum conuentus fit, et commentaria Apoſtolorum, aut ſcripta Prophetarum, quoad tempus fert, leguntur*, et Tertullianus Apologet. C. XXXI: *Cogimur*

mur ad diuinarum literarum commemorationem, ſi quid praeſertim temporum qualitas aut praemonere cogit, aut recognoſcere. Certe fidem ſanctis uocibus paſcimus, ſpem erigimus, fiduciam figimus, diſciplinam praeceptorum inculcationibus denſamus, et paulo poſt: *ut quisque de Scripturis ſacris, uel de proprio ingenio poteſt, prouocatur in medium Deo canere.* Videtur mos iſte ueterum Chriſtianorum ex Synagoga Iudaica deductus fuiſſe. Nam non tantum, ut hodie fieri ſolet, breuis quaedam periocha, ſed ſaepe aliquot capita continua, aeque ac apud Iudaeos, praelegebantur, ut patet ex initio homiliae Origenianae de Engaſtrimytho. Illa enim die, qua ſermonem hunc habuit Origines, capita XXV, XXVI, XXVII, ex primo Samuelis libro praelecta ſunt, et lectione finita, ſurrexit Origenes, et praecipua lectionis argumenta ſummatim recenſens, epiſcopum, quodnam ex iis uellet explicari, rogauit, cumque ἐγγαστριμύθῳ hiſtoriam explicare iuſſus eſſet, homiliam illam ex tempore habuit.

(*d*) Ita praecipit Ioh. Chryſoſtomus, cum alias ſaepiſſime, tum praecipue in homilia de utilitate lectionis Scripturae, Tom. V. p. 582. edit. Morellianae, *lectioni ergo*, inquiens, *ſimus attenti, non duas tantum horas, (neque enim ad ſecuritatem ſufficit haec auditio nuda,) ſed perpetuo quisque domum reuerſus libros ſacros in manus ſumat, et eorum, quae dicta ſunt, ſenſus percurrat, ſi quidem perpetuam et ſufficientem utilitatem percipere cupiat ex Scriptura.* et paulo poſt: *is, qui Scripturas aſſidue legit, et iuxta riuos aquarum reſidet, licet neminem habeat, qui interpretetur, frequenti lectione, quaſi radicibus quibusdam, plurimam utilitatem haurit.* Simili prorſus modo Auguſtinus, Serm. LVI. de tempore, hortatur: *Lectiones diuinas, et in Eccleſia, ſicut conſueſtis, audite, et in domibus ueſtris relegite. Si aliquis ita fuerit occupatus, ut ante refectionem Scripturae diuinae non poſſit inſiſtere, non eum pigeat in conuiuiolo ſuo aliquid de diuinis Scripturis relegere, ut, quomodo caro paſcitur cibo, ſic reficiatur anima Dei uerbo, ut totus homo, id eſt, et exterior, et interior, de ſancto et ſalubri conuiuio ſatiatus exſurgat.*

(*e*) Clemens Alexandrinus, Stromatum L. VII. *Sacrificium Chriſtiani ſunt preces, laudes diuinae, et lectio ſacrorum librorum.* Cyprianus, de Zelo et liuore, Sect. XIV. *ſit ante oculos diuina lectio, in manibus bona operatio, in ſenſibus dominica cogitatio*, et in Epiſtola II. ad Donatum: *ſit tibi uel oratio aſſidua, uel lectio: nunc cum Deo loquere, nunc Deus tecum. Ille te praeceptis ſuis inſtruat, ille diſponat, quem ille diuitem fecerit,*

nemo pauperem faciet, penuria esse nulla iam poterit, cum semel pectus coelestis sagina saturauit. Hinc Irenaeus Lib. II. C. XX. duo isthaec, ut arctissime inter se iuncta, memorat: *in sinu Ecclesiae educari, et dominicis scripturis enutriri.* et addit: *plantata est enim Ecclesia paradisus in hoc mundo, ab omni enim ligno paradisi escas manducabitis, inquit Spiritus Dei, id est, ab omni Scriptura dominica manducate.*

(*f*) Clemens Rom. in Epist. I. ad Corinthios §. 53. p. m. 88. *nostis autem, dilecti, et probe nostis, sacras Scripturas, et penitus in diuina eloquia introspexistis: illa igitur mente et memoria recolite.*

(*g*) Polycarpus, in epistola ad Philipp. p. 383. §. 12. *Confido, uos bene exercitatos esse in S. literis, et nihil uos latet.*

(*h*) Origenes, Homilia XIX in Matthaeum: *uinea, de qua loquitur Christus in parabola, est Scriptura S. quam paterfamilias elocarat uineatoribus, hoc est, quam dederat Iudaeis, et non solum sacerdotibus, sed et simplici plebi.* Hinc in persecutione Diocletionea, codices sacros a laicis aeque ac Clericis exactos et traditos fuisse, Optatus Mileuitanus lib. I. aduersus Parmenianum his uerbis testatur: *Ferme ante annos LX, et quod excurrit, per totam Africam persecutionis est deuagata tempestas. Quid commemorem laicos, qui tunc in Ecclesia nulla fuerunt dignitate suffulti? quid ministros plurimos? quid diaconos in tertio, quid presbyteros in secundo sacerdotio constitutos? ipsi apices et principes omnium aliqui episcopi illis temporibus, ut damno aeternae uitae istius lucis moras breuissimas comparent, instrumenta diuinae legis tradiderunt.* Causam et occasionem tyrannidis illius paganae, qua codices sacri Christianis erepti sunt, Theodoricus Ruinartus, in Actis Martyrum selectis p. 353. his uerbis memorat: *Cum animaduerterent Christianae religionis hostes, plurimum ad fidelium animos in suo proposito confirmandos ualere diuinarum Scripturarum lectionem, codicibus sacris bellum indixere.*

(*i*) Eusebius Praeparat. Euangel. L. XII. C. I. p. 573. *in communionem nostram recens admissis, et adhuc rudioribus animoque propemodum infantibus* (τοῖς μὲν ἄρτι εἰσαγομένοις, καὶ τὴν ἕξιν ἀτελέσιν, ὡς ἂν τὰς ψυχὰς νηπίοις) *diuinarum Scripturarum lectio simpliciter traditur, ita, ut simul illis, tanquam uerbis Dei, credere iubeantur.*

(*k*) Idem Eusebius l. d. C. 20. p. 594. *Iure sane ac merito pueri quoque nostri diuinorum Prophetarum odas hymnosque de Deo scriptos terere saepius ac repetere consuescunt.*

(*l*) Am-

(*l*) Ambrosius, de exhortatione ad uirginitatem, uirginibus praecipit: *quaerite Iesum Christum in Scripturis, quia ibi optime inueniri potest.* Gregorus Nyssenus Comment. in Psalmos, C. V. *non solum perfecti, et qui habent oculos illuminatos, capaces sunt institutionis, quam Spiritus S. nobis impertit in Scripturis, sed etiam foeminae in iis tantum reperiunt utilitatis, ac si non nisi in illarum gratiam scriptae essent.* Hinc multa exstant illustrium foeminarum exempla, quae a diligenti Scripturae S. lectione commendantur. Talis erat filia Eleutherae, quam Basilius, in epistola ad Eleutheram, salutat, *et perseuerare iubet in lectione uerbi Dei, ut conseruet fructum bonae educationis, quam nacta sit.* Talis Marcella, cuius *incredibilem ardorem diuinarum Scripturarum* laudat Hieronymus, in epitaphio eius, talis Dionysia, scientia diuinarum scripturarum plena, apud Victorem Vitensem, sub initium libri de persecutione Vandalica, talis, ante has omnes memoranda, Irene, quae, ineunte seculo IV, codicem sacrum, secundum Imperatoris Diocletiani edictum, tradere noluerat, et a Dulcetio praeside rogata: *quisnam tibi auctor fuit, ut membranas istas atque Scripturas ad hodiernum usque diem custodires?* respondit: *Ille Deus omnipotens, qui iussit nobis* (nos) *ad mortem diligere: qua de causa non ausae sumus eum prodere, sed maluimus aut uiuentes comburi, aut quaecunque alia nobis acciderint, perpeti, quam talia scripta prodere.* Cum porro praeses quaereret, utrum scripta illa legerit, respondit: *Domi nostrae erant, neque audebamus illa efferre, quam ob rem magnopere angebamur, quod non poteramus nocte ac die illis operam dare, sicut a principio consueueramus, usque ad annum superiorem, quo illa occultauimus*, uid. Ruinarti Acta Martyrum selecta ad annum Christi 304. 394. seqq. Taceo Fabiolam, Paulam, Demetriadem, ab Hieronymo, et alias ab aliis hoc nomine laudatas, de quibus lege sis Baluzii notas ad Saluianum p. 399. et Quesnellii Hexapla, p. 25. seqq.

(*m*) Iustinus Martyr, in cohortatione ad Graecos, pag. 32. *Itaque tempus est, uiri Graeci, a prisco maiorum errore discedere, et diuinis Prophetarum uacare libris, atque ex his ueram religionem addiscere, eas res annunciantibus, quas descendens in eos Spiritus S. religionem ueram discere uolentes per illos docere statuit.*

(*n*) Euangelii praeconium, armorum patrocinio destitutum, in propaganda religione parum ualuisse, Machiauellus, si initia ecclesiae Christianae respicias, non minus imperite, quam impie, sed si medii aeui conuersiones intuearis, non prorsus sine fundamento, affirmat, Talis erat e. g.

conuerſio Thuringorum et Francorum, per S. Bonifacium, regia Martelli et Pipini ope nixum, Saxonum, armis Caroli M. ſubactorum, Danorum et Suecorum, per Ansgarium, Ludouici Pii auctoritate miſſum et adiutum, quas ſaepe laudatus Fleury, in Hiſt. Eccleſ. tom. XIII. Diſc. IV. p. 66. cum conuerſionibus ueterum Chriſtianorum hoc modo comparat: *Ce ſecours etoit ſans doute neceſſaire chez de telles nations: mais les converſions des premiers ſiecles, faites par pure perſvaſion, etoient plus ſolides.*

(*o*) Vid ſupra §. VII. ſeqq.

(*p*) Cyrillus Hieroſolymitanus, Catech. V. ad illuminatos: *Cum non omnes poſſunt Scripturas legere, et alios quidem inſcitia, alios uero occupatio quaedam* (nullos uero publicum Eccleſiae interdictum) *impedit, ne, ob inſcitiam, animam perdas, in paucis uerſibus uniuerſam fidei doctrinam comprehendimus, quod in ipſa lectione meminiſſe uos, uolo, et apud uos ipſos ſtudioſe recolere.* et Ambroſius Serm. I. in Pſal. CXVIII. *et tu lege Prophetam, ut uideas, lege, ut aperiat oculos tuos. Quod ſi fugias lectionem propheticam, ſi domi non legas, in Eccleſia audire nolis, nonne ſicut ille, qui auerſo conniuet obtutu, ne uideat, quod poſſit uidere, claudit oculos, ne aſpiciat, cui poteſtas uidendi eſt, aut ſicut in furore plerique iniiciunt manus oculis ſuis; ita et tu primo auerteris.*

(*q*) Ioh. Chryſoſtomus Hom. II. in Matth. *Multo peius eſt, non credere, quod opus habeamus Scriptura S. eamque quaſi ſuperuacuam intueri, et plane non legere. Nonniſi diabolus huiusmodi cogitationes ſuggerit. Non intelligis S. Paulum tibi dicentem, quod omnia, quae ſcripta ſunt, ad inſtitutionem noſtram ſcripta ſint?* Addantur ſequentia.

(*r*) Recte Paſchaſius Quesnellus in Hexaplis p. 2. *tous les Peres generalement ont exhorté toutes ſortes des perſonnes, ſans diſtinction d' âge, ni de ſexe, de condition, ſimples, ou habiles, a lire les Ecritures ſaintes, et il eſt impoſſible d' en alleguer un ſeul, qui ſoit d' un avis contraire, et qui ait témoigné ne pas approuver, que les ignorans et les femmes luſſent l' Evangile, et les Ecrits des Apôtres. L' Ecriture n' eſt pas moins formelle, ſur ce point, que les Peres. Ainſi l' on doit regarder comme un dogme fondé ſur la parole de Dieu, etabli clairement dans l' Ancien et le Nouveau Teſtament, enſeigné par les Peres de tous les ſiecles, que la lecture de l' Ecriture ſainte eſt pour tous les fideles.*

(*s*) Legantur praeter Baluzium et Quesnellum ll. cc. Richardus Simonius in Biblioth. Crit. Epiſtola XV, et praecipue Iacobus Vſſerius in Hiſt. dogmat. de Scripturis et Sacris uernaculis cum Henrici VVhartoni auctario ad illam, Londini 1690. ed.

XXVII.

Cauſa, quamobrem ueteres Chriſtiani lectionem Scripturae S. tanto ſtudio omnibus commendarunt, haec erat, quod eam non minus pro remedio ſalutis, quam pro unico fundamento et principio cognoſcendi, pariter ac norma diiudicandi religionem Chriſtianam, omnesque de ea controuerſias, agnoſcerent: utrumque conuenienter intentioni diuinae, in ipſis ſacris literis reuelatae. Quod enim uerbum Dei ſcriptum, *primo*, ſit medium ſalutis, Chriſtus ipſe docet, (*a*) et Euangeliſtae atque Apoſtoli uno conſenſu teſtantur. (*b*)

(*a*) Chriſtus ipſe communem eius temporis Iudaeorum ſententiam, qua uia ad uitam aeternam perueniendi ex S. literis cognoſci putabatur, probat, et confirmat, Ioh. V. 39. Vnde illis, qui locum cruciatus poſt hanc uitam ſerio euitare ſtudent, Moſen et Prophetas commendat, Luc. XVI. 29.

(*b*) Sic Iohannes, Euangelium ſcriptum eſſe, teſtatur, eo fine, ut credentes in Ieſum Chriſtum uitam habeant per nomen eius, C. XX. 31. et Paulus notitiae S. literarum in Timotheo eam efficaciam tribuit, quod poſſit σοφίσαι εἰς σωτηρίαν διὰ πίστεως τῆς ἐν χριστῷ Ιησοῦ. II. Timoth. III. 15.

XXVIII.

Horum ſententiae plane conformis erat doctrina ueteris Eccleſiae, quae per Scripturam S. fidem, amorem Dei, omnesque uirtutes Chriſtianas excitari, augeri, confirmari, et ipſam denique ſalutem aeternam obtineri, perſuaſum exploratumque habebat. (*a*)

(*a*) Tertullianus Apologetici C. XXXI. *Cogimur ad diuinarum literarum commemorationem, certe fidem ſanctis uocibus paſcimus, ſpem erigimus, fiduciam figimus.* Idem lib. II. ad uxorem, *fomenta fidei de Scripturarum interlectione* commendat. Ambroſius de ieiunio Domini in deſerto Serm. XXXV. *Ipſa eſt refectio, quae ſaginat animam, quae impinguat*

guat uiſcera, cum de diuinis Scripturis cibum eloquii perennis accipimus. Ipſa eſt eſca, quae uitam aeternam tribuit, et inſidias a nobis diabolicae tentationis excludit. Quod autem S. literarum lectio uita ſit, Dominus teſtatur, dicens: uerba, quae ego locutus ſum uobis, Spiritus et uita ſunt. Auguſtinus in Epiſtola CXXVI. ad Antonium: *Illud ſane admonuerim religioſiſſimam prudentiam tuam, ut amorem Dei non irrationabilem, uel inferas infirmiori uaſi tuo,* (id eſt, uxori tuae) *uel nutrias, diuina lectione grauique colloquio.* et Gregorius M. Homilia XV. in Ezechielem: *in Scripturis inuenimus praedicamenta operis, et exempla uirtutis: ſtudete, quaeſo, fratres cariſſimi, Dei uerba meditari, nolite deſpicere ſcripta noſtri conditoris, quae ad nos miſſa ſunt. Multum ualde eſt, quod per ea animus refricatur ad calorem, ne iniquitatis ſuae frigore torpeſcat.* etc.

XXIX.

Quod *porro* Scriptura S. eo fine et conſilio nobis data ſit, ut normam cognoſcendi et diiudicandi dogmata religionis Chriſtianae conſtituat, Deus ipſe per illam confirmat. Nam cum primum uoluntas diuina literis mandaretur, ſimul etiam, ut regula cultus diuini, et norma fidei ac uitae, proponebatur. (*a*) Hinc Moſes unum legis exemplar ſacerdotibus, filiis Leui, et omnibus ſenioribus Iſrael, legendum ac deſcribendum dedit, (*b*) imo legere iuſſit coram omni Iſraële, uiris et mulieribus, et infantibus, et peregrinis, idque propterea, *ut audiant et diſcant, timeantque Iehouam, et cuſtodiant facere omnia uerba legis huius;* (*c*) alterum exemplar a latere arcae foederis Iehouae poſuit, addita hac ratione: *ut ſit contra te in teſtem,* (*d*) hoc eſt, ut erroris et peccati te conuincat, ſi receſſeris a uera religione, *uia* illa, *quam praecepi uobis.* (*e*) Hinc in rebus dubiis Deus remittit ad legem, et teſtimonium, ut dicant, doceant, faciant, incedant, ſecundum uerbum hoc, (*f*) et proxime poſt tempora Moſis, Ioſua ueram religionem Iſraëlitis commendaturus, eos iubet cuſtodire et facere, quod ſcriptum eſt in libro legis Moſis, ut non recedant ab eo, ad dextram, aut ſiniſtram. (*g*)

Eaque

Eaque norma tam ſufficiens a Deo ipſo iudicabatur, ut quicquam illi ab homine quocunque addi, uel detrahi, nefas eſſet. (*b*)

(*a*) Leg. omnino Deut. IV. 2. et VI. 6. 7. 8. 9. 13. 14. 17. 18. 24.
(*b*) Deut. XXXI. 9.
(*c*) l. c. u. 12.
(*d*) Deut XXXI. 26.
(*e*) l. c. u. 29. Conf. Cap. XVII. 11.
(*f*) Eſaiae VIII. 20.
(*g*) Ioſuae XXIII. 6.
(*h*) Deut. IV. 2.

XXX.

Huic uoluntati diuinae conuenienter uetus eccleſia Iſraëlitica Scripturam S. ut normam religionis ſuae, conſtanter amplexa eſt, et tam arcte tenuit, ut cum ea ſimul et ſtare, et cadere, et reſurgere uideretur. Hinc Ioſaphat, rex Iuda, uerum Dei cultum inſtauraturus, miſit *principes ſuos, Leuitas et Sacerdotes, qui docerent populum in urbibus Iuda, ſecundum librum legis Iehouae.* (*a*) Sic poſtea rex Ezechias religionem, una cum lege Dei ſcripta neglectam atque collapſam, reſtituens, omnia fecit *ſecundum legem et praeceptum Dei.* (*b*) Cum denuo Manaſſes et Ammon, inſuper habita ſacri codicis auctoritate, populum a uera patrum religione ad idololatriam adduxiſſent, rex Ioſias, illum e latebris in lucem retracturus, non modo publice praelegendum curauit, ſed et foedere renouato populum Deo obſtrinxit, ut *ſequerentur Dominum, cuſtodirentque praecepta eius, et teſtimonia eius, et ſtatuta eius toto corde ſuo, faciendo uerba foederis, ſcripta ſuper libro iſto.* (*c*) Neque alio fundamento nitebantur Iudaei, ex captiuitate Babylonica reduces, cum publicum ueri Dei cultum Hieroſolymae renouarent. (*d*) Poſt ea tempora diffitendum quidem non eſt, uarias traditiones Iudaeorum orales cum uerbo Dei ſcripto coniunctas, imo

huic

huic progreſſu temporis antepoſitas fuiſſe. (*e*) Sed hoc ipſum Chriſtus in Phariſaeis, tanquam praecipuum corruptelarum Iudaicarum fundamentum, reprehendit, quod per traditiones ſuas mandata Dei irrita facerent: (*f*) cum ceteroquin ueram religionis normam, a Deo traditam, praecepto pariter ac exemplo ſuo comprobaret. (*g*) Idem fecerunt Apoſtoli, dum doctrinam ſuam, licet θεόπνευστον, non modo ipſi ex prophetarum ueteris teſtamenti ſcriptis confirmarunt, (*h*) ſed etiam ab aliis ad hanc normam exigi et examinari, minime refugerunt. (*i*)

(*a*) II. Paralipp. XVII. 7. 8. 9.
(*b*) II. Paral. XXXI. 21. Conf. u. 3. et Cap. XXX. 1. 2.
(*c*) II. Chronic. XXXIV. 31. 2. Reg. XXII. et XXIII.
(*d*) Leg. Nehem. VIII. IX. X.

(*e*) Originem primam traditionum Iudaicarum, quam uulgo Iudaei a Moſis tempore, atque adeo ex ipſo monte Sinai, repetunt, non ultra Eſdrae aetatem aſſurgere, pluribus, poſt alios, nuper demonſtrauit H. Prideaux, in the connexion of the Hiſtory of the old and New Teſtament. P. I. Lib. V. p. m. 257. Quid quod demum poſt mortem Simonis Iuſti, anno ante C. N. 292. defuncti, extiterunt Tannaim, h. e. doctores Miſchnici, qui Miſchnam ſeu traditionem, ex ore praeceptorum acceptam, rurſus publice recenſuerunt et explicarunt: de quibus leg. Buxt. Lexicon Talmudicum uoc. תנא pag. 2610. ſeqq. Horum praecepta deinceps creuerunt eundo, et cum ipſo die multiplicata, ſecundo tandem poſt C. N. ſeculo, a R. Iuda Hakkadoſch in unum corpus relata ſunt. leg. Buxtorfii recenſio operis Talmudici. His traditionibus ſuis tantum tribuebant Iudaei poſteriores, ut prae iis ipſum uerbum Dei contemnerent. Nam iſtud cum aqua, Miſchnam cum uino, illud cum ſale, hanc cum pipere et aromatibus comparunt, leg. Maimonidis praef. ad Seder Zeraim, Buxtorfii recenſio operis Talmudici, et Synagoga Iudaica C. III. Hottingeri Theſaurus, Lib. II. C. III. §. III. Lightfooti Harmonia quatuor Euangeliſtarum Sect. 23.

(*f*) Marc. VII. 13.

(*g*) Vide e. g. Luc. XVI. 29. 31. et Ioh. V. 39. Matth. IV. 7. 10. XXII. 29. it. Luc. IV. 21. C. XXIV. 32. 45. ſeqq.

(*h*) Ex-

(*b*) Exempli loco sint Petrus, Act. II. 16. 25. seqq. C. III. 18. C. IV. 11. Philippus, Act. VIII. 28. 35. Stephanus, Act. VII. u. 1. seqq. Paulus et Barnabas, Act. XIII. 46. 46. et C. XIV. 15. et iterum Paulus, Act. XXVIII. 23. Rom. I. 2. etc.

(*i*) Act. XVII. 11. et C. XXVI. 22.

XXXI.

Postquam deinde Euangelistae et Apostoli, Spiritus S. instinctu, Euangelium Domini nostri Iesu Christi, doctrinae Mosis et Prophetarum conforme, scriptis consignarunt, hoc pari pietatis affectu suscipiendum erat, (*a*) adeo, ut praeter uerbum Dei, nouam atque diuersam doctrinam annunciaturis anathema diceretur. (*b*) Et simul ac liber quidam θεόπνευστος promulgatus fuerat, Canonicam in Ecclesia auctoritatem per se habuit; non demum uel ex uniuersarum Ecclesiarum consensu, uel historica patrum traditione, dignitatem illam ac ualorem impetrauit. (*c*)

(*a*) Galat. VI. 16. Philipp. III. 15. 16. I. Thes. II. 13. II. Thes. III. 14. I. Timoth. VI. 20. II. Timoth. I. 14. Ioh. XX. 31. C. XXI. 24.

(*b*) Gal. I. 8.

(*c*) Contra Ludouici Eliae du Pin, Henrici Dodwelli, aliorumque hypotheses, hoc ex instituto probauit B. Neumannus noster, in Disputat. Theol. de Canone Scripturae S. obsignato. §. XXIX.

XXXII.

Institutioni huic Apostolicae congruebat doctrina et praxis primitiuae Ecclesiae, quae, ut solo uerbo Dei scripto, tanquam norma fidei suae ac religionis, nitebatur, (*a*) ita controuersias, si quae de illa oriebantur, ad hanc solam normam examinabat, (*b*) et praecipue in conciliis suis, S. Scripturam illarum iudicem constituebat, (*c*) et uel ipsum silentium eius, ad dogma aliquod religionis, ut nouum, et a fide Christiana alienum, reiiciendum, sufficere, statuebat, atque adeo ex sacris literis non tantum *affirmatiue*, sed etiam *negatiue*, argumentabatur. (*d*)

(a) Ita *IRENAEVS* lib. III. c. 1. NON enim PER ALIOS dispositionem solutis nostrae cognouimus, quam per eos, per quos Euangelium peruenit ad nos quod quidem tunc praeconieuerunt, postea uero, per uoluntatem Dei, in Scripturis nobis tradiderunt, FVNDAMENTVM ET COLVMNAM FIDEI nostrae futurum. Vbi haud obscure alludit ad uerba Apostoli I. Tim. III. 15. στύλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας, quae tamen non dicit de Ecclesia, domo Dei, cuius mentio in eodem uersu 15 praecedit; sed de euangelio, cuius fundamentum, et quasi summa, continetur uerbis proxime sequentibus: θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκί. Similiter Irenaeus, in libri huius III. capite XI. p. 221. scribit: στύλος δὲ καὶ στήριγμα ἐκκλησίας τὸ εὐαγγέλιον, *columna autem et firmamentum Ecclesiae est Euangelium.* Vnde colligas, locum hunc Paulinum, quo uulgus Pontificiorum hodieque, ad auctoritatem Ecclesiae Romanae supra Scripturam S. euehendam, abutitur, tempore Irenaei aliter, quam a Rob. Stephano, et in uulgatis N. T. editionibus ac uersionibus, Stephani recensionem secutis, interpunctum, et ita lectum fuisse: u. 15. Πῶς δεῖ ἐν οἴκῳ θεοῦ ἀναστρέφεσθαι, ἥτις ἐστὶν ἐκκλησία θεοῦ ζῶντος. u. 16. στύλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας, καὶ ὁμολογουμένως μέγα ἐστὶ τὸ τῆς εὐσεβείας μυστήριον, θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκί. Sic quoque distinguere editionem Basileensem, quae an. 1540. prodiit, animaduertit Schmidius ad h. l. Consentiunt Camero, Quistorpius, aliique, recensiti a Thoma Ittigio, in Programmate, Orationi inaugurali an. 1697. praemisso, quod extat in Enneade diss. p. 724. Quomodocunque uero ista se habeant, neque enim controuersiam hanc, de interpunctione loci Paulini, nostram nunc facimus, certum et perspicuum est, Irenaeum non Ecclesiam pro doctrinae Euangelicae, sed doctrinam Euangelicam, sacris literis comprehensam, pro ecclesiae norma ac fundamento agnouisse. Et hanc quidem communem primae Ecclesiae Christianae sententiam fuisse, idem Irenaeus, a maioribus se accepisse, lib. IV. C. 45. p. 345. his uerbis testatur: *Quemadmodum audiui a quodam Presbytero, qui audierat ab his, qui Apostolos uiderant, et ab his, qui didicerant: sufficere de his, quae sine consilio spiritus egerant, eam, quae ex Scripturis esset, correptionem.* Ita et aequalis Irenaei, *Tertullianus*, in lib. de resurrectione carnis, p. 37. *Aufer denique*, inquit, *haereticis, quaecunque Ethnici sapiunt, ut de Scripturis solis quaestiones suas sistant, et stare non poterunt.* Frigidum est, quod ad hunc locum, a nostratibus in Colloquii Ratisbonensis Sess. VIII. obiectum, respondent aduersarii: agere illic Tertullianum contra eos, qui, humana ratiocinatione inducti, negarunt carnis resurrectionem: de his, aliisque similibus, qui ea, quae credenda sunt, humana solum ratione conuellere nituntur,

eum

eum dicere: aufer haereticis etc. Si enim uel Ecclesiae, uel aliam quamcunque autoritatem, pari pietatis affectu, ac ipsas Scripturas, pro fidei norma agnouisset Tertullianus, non ad solas scripturas, tanquam unicum fidei principium, sed ad Scripturas et traditiones Ecclesiae, aut ad Pontificis Romani decreta et constitutiones, haereticos illos remisisset. Ita seculo III. ORIGENES, in Homil. XXVI. ad Num. XXXI, transitum Israelitarum in terram promissam allegorice de transitu Patrum V. T. in uitam aeternam exponens, addit: *Sed haec nisi ex Scripturis diuinis probentur, fabulae uidebuntur.* et prouocat deinceps ad Hebr. XI. Simili modo et alibi passim sensum allegoricum, quem huic uel illi loco Scripturae S., more suo, infert, saltem ex alio loco, proprie et sensu literali accepto, probat. uide e. g. Homil. I. in Ierem. Tract. XXIII. et XXIV. in Matth. et ad Rom. III. etc. Seculo IV, HILARIVS, lib. III. de Trinitate, aduersarium Arianum alloquens: *Bene habet*, inquit, *quod iis, quae scripta sunt, contentus sis*, et lib. II. ad Constantium Augustum: *uere te, domine, admiror, fidem secundum ea, quae scripta sunt, considerantem: et merito plane ad illa ipsa unigeniti filii Dei eloquia festinas, ut imperatoriae sollicitudinis capax pectus etiam diuinorum dictorum conscientia plenum sit. Hoc qui repudiat, Antichristus est, qui simulat, anathema est.* et paulo post: *fidem quaeris, Imperator, audi eam, non de nouis chartulis, sed de Dei libris.* Eodem seculo, in Graeca ecclesia, BASILIVS, in Ethicis, definit. LXXX. C. 22. *quid est proprium*, inquit, *credentis? ut tali persuasione assentiatur uirtuti dictorum, neque quicquam praesumat uel reprobare, uel superaddere. Si enim quicquid ex fide non est, peccatum est, sicut dicit Apostolus, fides uero ex auditu, auditus autem per uerbum Dei est; ergo quicquid extra diuinam Scripturam est, peccatum est. Ergo unicum fidei fundamentum uerbum Dei, et nullum uerbum Dei, quod extra diuinam Scripturam est.* Idem libro de fide p. 494. *manifestus est fidei lapsus, et liquidum superbiae uitium, uel respuere aliquid eorum, quae Scriptura habet, uel inducere quicquam, quod scriptum est.* Multo plura in hanc sententiam, eodem loco, disputat, dignissima, quae legantur, sed longiora, quam ut hic exscribi possint. Quin ita eo tempore huic normae assueti erant Christiani, ut quicquid in causa religionis, sine scripturae S. testimonio, asserebatur, nullam apud eos fidem, uel autoritatem haberet. Hinc CHRYSOSTOMVS in Psalm. XCV. T. I. col. 960. *quis est*, inquit, *qui ista promittit? Paulus. Neque enim oportet quicquam dicere sine testibus, solaque animi cogitatione. Nam si quid dicitur absque Scriptura, auditorum cogitatio claudicat, nunc annuens, nunc haesitans, et interdum sermonem, ut friuolum, auersans, interdum ut probabilem*

habitem, accipiens: uerum ubi e Scriptura diuinae uocis prodiit teſtimonium, et loquentis ſermonem, et audientis animum confirmat. Seculo V. THEODORITVS dial. I. p. 18. *noli mihi humanis cogitationibus et ratiocinationibus obſtrepere, ego enim in ſola Scriptura acquieſco.* et pag. 48. *decebat te acquieſcere in Apoſtolicis et Propheticis demonſtrationibus. Quia uero etiam ſanctorum Patrum interpretationes requiris, ego et hanc tibi, Deo iuuante, applicabo medicinam.* Plura in hanc ſententiam Patrum teſtimonia congeſta uide in colloquii Ratisbon. ſeſſione VIII. in Gerhardi Confeſſione Catholica Lib. I. P. I. C. I. Chriſtiani Dreieri controuerſiis cum Pontificiis, diſp. III. Chamierii Panſtratia Catholica T. I. lib. 8.

(*b*) Ita Seculo II. Irenaeus, aduerſus Valentinianos haereticos diſputans, in praef. libri III, fundamentum errores eorum refutandi, pariter ac ueritatem religionis Chriſtianae uindicandi, nullum aliud conſtituit, quam ſcripta Apoſtolorum et Euangeliſtarum, *per quos ueritatem, hoc eſt, filii Dei doctrinam, cognouimus, quibus et dixit Dominus: qui uos audit, me audit, et qui uos contemnit, me contemnit, et eum, qui miſit me.* Similiter Tertullianus, Hermogenis errores confutans, pro fundamento et principio diſputationis ſuae ſumit: quicquid de rebus diuinis Scriptura S. non reuelat, id pro dogmate religionis Chriſtianae falſo uenditatur. Hinc in lib. II. aduerſus Hermogenem: *adoro*, inquit, *plenitudinem Scripturae, quae mihi et factorem manifeſtat, et facta. In Euangelio uero amplius et miniſtrum atque arbitrum rectoris inuenio ſermonem: an uero de aliqua materia facta ſint omnia, nusquam adhuc legi. Scriptum eſſe doceat Hermogenis officina. Si non eſt ſcriptum, timeat uae illud, adiicientibus, uel detrahentibus, deſtinatum.* In Graeca Eccleſia Baſilius in epiſtola LXXX. ad Euſtathium Medicum Tom. II. p. 74. *Stemus igitur arbitratu inſpiratae a Deo Scripturae, et apud quos inueniuntur dogmata diuinis oraculis congrua, illis omnino ueritatis adiudicetur ſententia.*

(*c*) Sic in primo concilio oecumenico, Imperator Conſtantinus M. controuerſiam Arianam, ſecundum oracula Prophetarum, Euangeliſtarum, et Apoſtolorum, diiudicare iuſſit. Nam in oratione ad concilium illud habita: *Euangelici*, inquit, *et Apoſtolici libri, et ueterum Prophetarum oracula, quid de Deo ſentiendum ſit, nos aperte docent. Quamobrem hoſtili contentione depoſita, ex Scripturis diuinitus inſpiratis ſolutionem eorum, quae in controuerſiam ueniunt, requiramus*, apud Theodoritum Hiſt. Eccl. lib. I. c. 7. p. 25. quam Conſtantini M. ſententiam, de Scriptura S. ſufficiente controuerſiarum Theologicarum iudice, contra Bellarmini, Cani, Andradii, Bulengeri, et aliorum, obiectiones uindicat Chamier in Ponſtrat. Cathol.

Cathol. T. I. Lib. 8. c. 10. th. 11. ſeqq. et Arium in concilio Nicaeno, non ex traditione, ſed ex Scriptura S. confutatum eſſe, demonſtrat, lib. IX. c. 17. th. 3. ſeq. Quid quod ipſimet Ariani de hoc controuerſiarum religionis iudice cum orthodoxis conſentiebant, ut paulo ante Hilarii teſtimonio demonſtrauimus. Hinc Athanaſius tanto ſtudio et labore ſibi probandum duxit, quod uocabulum ὁμοούσιος, non ſine auctoritate Scripturae S. in concilio Nicaeno receptum, et approbatum ſit. uide Tom. II. Operum eius p. 295. ſeqq. et conf. Basnage Hiſt. de l'Egliſe L. XXVII. c. 1. p. 1569. denique, ut plura exempla, in re euidenti non neceſſaria, cumulare ſuperſedeam, conſtanti ueteris Eccleſiae more receptum fuit, ut, cum ad decernendas religionis controuerſias concilia haberentur, ſacer codex, quaſi iudex principalis, in medio conſeſſu poneretur, et, diſciplinae ordinandae cauſa, codex canonum cum eo coniungeretur, leg. Chriſtoph. Iuſtelli praefatio ad codicem Canonum Eccleſiae uniuerſae, ſub initium.

(*d*) Ita ſupra, not. b., Tertullianum aduerſus Hermogenis errores argumentantem uidimus, et communem hanc, atque familiarem Eccleſiae Chriſtianae, pro religione diſputandi rationem fuiſſe, Hieronymus, in lib. aduerſus Heluidium c. IX. his uerbis docet: *ut haec, quae ſcripta ſunt, non negamus, ita ea, quae non ſunt ſcripta, renuimus; natum Deum eſſe de uirgine, credimus, quia legimus: Mariam nupſiſſe poſt partum, non credimus, quia non legimus.* et in Matth. XXIII: *hoc, quia de Scripturis non habet auctoritatem, eadem facilitate contemnitur, qua probatur.* et ante Hieronymum, Ambroſius lib. II. c. 3. de uocatione gentium: *Sanctis Scripturis non loquentibus, quis loquatur?*

XXXIII.

Itaque traditiones non ſcriptae, hoc eſt dogmata, (*a*) quae nullum habent in ſacris literis fundamentum, et per oralem traditionem, ab Apoſtolis acceptae eſſe dicuntur, ſicut iam primis rei Chriſtianae ſeculis, (*b*) imo ipſa Apoſtolorum aetate, admodum fallaces erant, (*c*) ita ueteris Eccleſiae ſententia, nequaquam pro norma fidei agnoſcebantur: quin potius prioribus tribus ſeculis haereticorum proprium erat, ea, quae ex Scriptura S. probari non poterant, traditioni adſcribere, et parem huic, aut maiorem, ac illi, auctoritatem tribuere. (*d*) Si quam uero traditionem in rebus dogmaticis admittebant Patres orthodoxi, ei non

per se fidem habebant, sed quatenus cum Scriptura S. consentiebat, atque adeo illam ante omnia ad amussim hanc examinandam censebant. (*e*)

(*a*) Loquimur ergo de traditionibus dogmaticis, non de ritualibus, siue ad ritus et ceremonias externas spectantibus. Nam in his, aliquid moribus et institutis ecclesiae tribuendum esse, ultro fatemur, et eo pertinent traditiones, quas Tertullianus, de Corona Mil. c. 4. Basilius, de Spiritu S. aliique commendant. leg. quae ad locum illum Tertulliani, traditionibus Pontificiis potius aduerso, quam fauente, commentatus est Basnage Hist. Eccles. lib. IX. c. 5. p. 474.

(*b*) Exempli loco sit Papias, non modo Apostolicorum uirorum, ut testatur Eusebius Hist. Eccles. lib. III. c. 39. sed et, si Irenaeo lib. V. c. 31. fidem habemus, ipsius Iohannis Apostoli auditor, qui dicta et facta Apostolorum se studiose conquisiuisse, apud Eusebium, loco dicto, profitetur, ac nihilominus fabulas ineptissimas, et uiro Apostolico indignissimas, pro traditionibus Apostolicis uenditat: quo nomine iam ab Eusebio notatus est. et quia in illis eminet regnum Chiliasticum, huius defensores ab illo, quasi haeresiarcha, Papianistae dicti esse censentur, leg. V. Cod. de haeret. uide ad hunc locum, Cotelerii tom. I. Monumentorum Ecclesiae Graecae, col. 765. et Grabii Spicilegium Patrum Sec. II. p. 26. Eodem seculo II. Irenaeus lib. II. cap. 39. p. 161. quasi ex certa constantique traditione Apostolica acceptum, refert, Christum Sospitatorem nostrum, usque ad L aetatis annum, in his terris docendi munere functum esse. *Hoc enim*, inquit, *testantur omnes seniores, qui in Asia apud Iohannem, discipulum Domini, conuenerunt, tradidisse iis Iohannem. Permansit enim cum eis usque ad Traiani tempora. Quidam autem eorum non solum Iohannem, sed et alios Apostolos uiderunt, et haec eadem ab iis audiuerunt, et testantur de huiusmodi relatione*, uerbis iam ab Eusebio Hist. Eccl. lib. III. c. 23. citatis. Atqui hoc Euangelicae historiae aduersum, et falsissimum esse, hodie uel pueri norunt. Antonius Pagi, in Critica Anti-Baroniana ad annum Christi 32. n. V. p. 24. locum illum Irenaei corruptum esse, putat, sed coniecturam eius data opera refellit, et Irenaei errorem agnoscit, Massuetus Diss. III. in Irenaeum art. VI. §. 71. Sic Polycarpo, Irenaei praeceptori, persuaderi nunquam potuit, ut Pascha, alio die, quam decima quarta luna post aequinoctium uernum, more Iudaeorum, celebraret, propterea, quod cum Iohanne, Domini nostri discipulo, et cum reliquis Apostolis quibusdam, familiariter uixerat, et hunc morem, ab iis acceptum, firmiter obseruauerat, ut testatur ipse Irenaeus, apud Eusebium Hist. Eccles. Lib. V. p. 193. Nihilominus traditionem hanc Apostolicam, non modo Victor, episcopus Romanus,

Romanus, sed ipsum quoque concilium Nicenum insuper habuit, siue, quod eam pro uera non agnosceret, atque adeo exiguam traditionibus fidem haberet, siue, quod parum de ea laboraret, atque adeo autoritati traditionum non multum tribueret.

(*c*) Exemplum habes Act. XV. 1. seq. ubi nonnulli pro Apostolorum traditione uenditabant, quod falsissimum erat, obseruationem rituum Mosaicorum necessariam esse ad salutem, prorsus contra mentem Apostolorum, ut patet ex Gal. V. 2. et Phil. III. 3.

(*d*) Diserte hunc haereticorum sui temporis characterem annotauit Irenaeus lib. III. c. 2. *quod faciunt*, inquens, *omnes haeretici. Cum enim ex Scripturis arguuntur, in accusationem conuertuntur ipsarum Scripturarum, quasi non recte habeant, neque sint ex auctoritate, et quia uarie sint dictae, et quia non possit ex his inueniri ueritas ab his, qui nesciant traditionem. Non enim per literas traditam illam, sed per uiuam uocem.* Et hoc quidem loco illud speciatim ad Valentinianos accommodat: alias uero eandem Carpocratianorum consuetudinem fuisse, ostendit. lib. I. c. 24. Similiter Marcionem, Basilidem, Cerinthum, et Hermogenem, somnia sua et commenta, quae ex Scripturis probare non poterant, ex traditione orali deriuasse, obseruat Basnage Hist. de l' Eglise L. IX. c. 5. p 474. Hunc morem iam ante Irenaeum, ut Pharisaicum, damnauit Iustinus Martyr, quod ipse testatur, in epistola ad Zenam et Serenum, quam ita orditur: *de inconsulta quorundam institutione, et inutili doctrina, secundum traditionem hominum, hereditario accepta ab iis, qui Pharisaeorum placita pariter ac facta imitantur* (περὶ τῆς μαθήσεως ἀνωφελῶς, κατὰ παράδοσιν ἀνθρώπων, κληρονομηθείσης ὑπὸ τῶν τὰ ὅμοια τοῖς Φαρισαίοις νοούντων τε καὶ πραττόντων) *in epistola ad Papam, perquam diligenter et accurate dixi.*

(*e*) Ita sec. III. Cyprianus, in epistola ad Pompeium: *Vnde est*, inquit, *ista traditio? utrum de dominica et euangelica auctoritate descendens? an de Apostolorum mandatis et epistolis ueniens? ea enim facienda esse, quae scripta sunt, Deus testatur, et proponit, ad Iesum Naue dicens: Non recedet liber legis huius ex ore tuo. Si ergo aut in Euangelio praecipitur, aut in Apostolorum epistolis, aut actibus, continetur, obseruetur doctrina haec et sancta traditio.* Frustra contra testimonium hoc, in Colloquii Ratisbonensis sess. VIII. prolatum, obiiciunt Iesuitae Ratisbonenses: Cyprianum haec scripsisse, cum errorem suum de rebaptizandis haereticis tueri uellet, et praeterea eum non omnes traditiones, sed eas duntaxat, quas ipse Scripturae contrarias existimabat, reiicere. At enim quod ad prius attinet, non sequitur: Cyprianus errauit de baptismo haereticorum; ergo etiam errauit in eo, quod traditiones ad Scripturam S. exigendas et examinandas censuit. Nam etsi de illo Cyprianus a

Stephano

Stephano aliisque diſſentiebat, tamen principium de eo diſputandi primum et ultimum eſſe Scripturam S. utrinque agnoſcebatur: alterum, quod dicunt Ieſuitae, aperte falſum eſt. Non enim Cyprianus eas duntaxat traditiones reiicit, quas Scripturae contrarias exiſtimat, ſed illas etiam, quae *de dominica et euangelica auctoritate non deſcendunt, aut de Apoſtolorum epiſtolis non ueniunt*, hoc eſt, ut ſe ipſum explicat, quae non ſimul in S. literis *ſcriptae* ſunt. Similiter ſeculo IV. Baſilius, quem uulgo diſſentientes, ut praecipuum traditionis patronum, commendant, lib. de Spiritu S. Cap. VIII: *quod patres noſtri dixerunt, nos etiam dicimus, quod gloria communis eſt Patri et Filio etc: At non hoc nobis ſufficit, quod patrum eſt traditio. Nam et illi Scripturae auctoritatem ſecuti ſunt, ex teſtimoniis, quae paulo ante ex Scriptura deduximus, initio accepto.* Eodem ſpectant, quae Irenaeus lib. III. c. III. copioſe, de traditionibus Apoſtolicis, in Eccleſia Romana, Smyrnenſi, aliisque, conſeruatis, diſputat. Scilicet earum inductione contra Valentinianos, qui traditiones de rebus Scripturae S. ignotis uenditabant, probat, quod nihil contineant, niſi fidem in Scriptura S. traditam. Vnde falſiſſimi ſunt Ieſuitae Ratisbonenſes, dum ex hoc Irenaei loco inferunt, Eccleſiam eo tempore duplex fidei principium habuiſſe: id quod data opera Irenaeus confutat. Meminiſſe uero debebant, inter nos non diſputari, utrum aliquam traditionem agnouerit uetus eccleſia; ſed utrum dogmata quaedam, ſine auctoritate Scripturae, a maioribus tradita, tanquam uera, et creditu ad ſalutem neceſſaria, admiſerint?

XXXIV.

Pontificum uero Romanorum reſponſa, tantum abeſt, ut infallibilia iudicarint ueteres Chriſtiani, aut fidem ſuam iis addixerint, ut illos erroris accuſare, imo haereſeos condemnare, et propterea communione ſua excludere, non dubitauerint. Exempli loco ſint Liberius, ſeculo IV. haereſeos Arianae reus: (*a*) Vigilius, Eutychianismo, aduerſus concilium Chalcedonenſe, patrocinans, (*b*) et ob trium capitulorum damnationem, quam ſynodus oecumenica V. decreuit, bis improbatam, et bis, mutata per uices ſententia, approbatam, (*c*) ab epiſcopis occidentalibus, ſpeciatim Africanis, excommunicatus: (*d*) Honorius, ſeculo VII, in concilio oecumenico VI, haereſeos Monotheleticae, publica omnium ſenten-

ſententia, ab ipſis etiam ſucceſſoribus ſuis confirmata, damnatus. (*c*) Itaque cum grauiores de religione diſſenſiones inciderent, eas non ad tribunal Romanum, quaſi ad iudicium ſupremum et authenticum, referebant: ſed more ab Apoſtolis tradito, concilia indicebant, et ſacrorum antiſtites, magno ſaepe ſumtu et incommodo, ex toto imperio Romano conuocabant: fruſtra ſane, ſi unius Pontificis arbitrio illae componi potuiſſent. (*f*) Ceterum tametſi conciliis huiusmodi controuerſiae decernendae committebantur, eorumque ſententia, praeſertim oecumenicorum, omnibus Pontificis Romani decretis, ſine controuerſia praeferebatur, et ſuperior iudicabatur: tamen dogmata in iis definita, non propter concilii auctoritatem, ſed quia id, quod concilium decreuerat, cum uerbo Dei conſentiebat, ſibi credenda putabant. Vnde ſi quid in concilio contra uerbum Dei decretum fuerat, id iure ſuo repudiabant. (*g*)

(*a*) Liberius, ab anno 352. epiſcopus Romanus, ab Imperatore Conſtantio, religionis cauſa, in exilium miſſus, ut reſtitutionem impetraret, non tantum Vrſatio, Valenti, Vincentio, aliisque Arianae factionis epiſcopis, abiecte ſupplicauit, in epiſtolis inter Hilarii fragmenta editis, ſed et, ex horum praeſcripto, anno 355, in Athanaſii condemnationem, et in formulam fidei Sirmienſem conſenſit, atque adeo, ut diſerte Hieronymus, de uiris illuſtribus C. XCVII. inquit, *haereſi Arianae ſubſcripſit.* Cuius facti indignitate permotus Hilarius, ipſi occlamauit: *haec eſt perfidia Ariana! anathema a me dictum tibi, Liberi, et ſociis tuis! iterum anathema tibi et tertio, praeuaricator Liberi.* leg. Matthaei Larroquani Diſſ. de Liberio p. 192. ſeqq. Baſnage Hiſt. Eccleſ. lib. VII. c. 6. p. 367. Ex ipſismet Romanenſibus lapſum et haereſin Liberii agnoſcunt Tillemontius, Memor. ad Hiſt. Eccleſ. tom. VI. P. II. Art. LXIX. p. 306-364. 419. Du Pin, in Diſſert. V. de Antiqua Eccleſiae diſciplina p. 347. *ſufficit*, inquiens, *antiquos pro certo habuiſſe, Liberium haereticae fidei formulae ſubſcripſiſſe, et Arianae perfidiae conſenſiſſe.* et paulo poſt p. 348: *liquet, Liberium ab haereſi liberari non poſſe.*

(*b*) Vigilius, Pontificatu, anno 540, non ſine ambitu et prenſatione nefanda, potitus, ſynodum Chalcedonenſem, inter oecumenicas quartam, damnauit, et unicam in Chriſto naturam profeſſus eſt, ſicut Theodorae Auguſtae, interpoſito iureiurando, datoque chirographo, promiſerat: quod

ei palam, adhuc uiuenti, exprobrauit Facundus Hermianenſis, in libro contra Mutianum p. 573. Conſentiunt Liberatus, Victor Tununenſis, aliique eorum temporum ſcriptores. Conf. Fleury in Hiſt. Eccleſ. L. XXXII. Cap. 57. 58. tom. VII. p. 356.

(*c*) In notiſſima illa de tribus capitulis, per concilii oecumenici V ſententiam, anno 553 damnatis, controuerſia, nemo maiorem inconſtantiam prodidit, quam Vigilius Papa, idque cum non ut priuatus, ſed ut Pontifex, ex cathedra pronunciaret. Nam primum an. 547, cum plerisque aliis epiſcopis occidentalibus, ab illorum condemnatione ita abhorruit, ut Mennae, epiſcopo Conſtantinopolitano, eam approbanti, communionem ſuam denegaret, ſed poſt aliquot menſes Mennam non modo in communionem recepit, ſed et ipſe trium capitulorum condemnationi ſubſcripſit, ſuaeque ſententiae rationem, in *iudicato*, quod uocat, die XI. Apr. an. 548. edito, pluribus expoſuit. Poſtea, cum totum fere orbem Chriſtianum Occidentalem, ipſumque Clerum Romanum aduerſus ſe fremere, et factum illud indigniſſime ferre, intelligeret, eius poenitentia ductus, denuo mutauit ſententiam, et in *conſtituto* ſuo, tempore ipſius Synodi V. ad Imperatorem Iuſtinianum ſcripto, omnia fere eius geſta exauctorauit, ſpeciatim Theodorum Mopſueſtenum, qui in pace Eccleſiae obierit, Theodoritum, et Ibam Edeſſenum, quos ſynodus Chalcedonenſis abſoluerat, poſt mortem damnandos eſſe, negauit, et ſcriptum illud his uerbis concluſit: *ſtatuimus et decernimus, nulli, ad ordines et dignitates eccleſiaſticas pertinenti, licere, quicquam contrarium his, quae praeſenti aſſeruimus uel ſtatuimus conſtituto, de ſaepe dictis tribus capitulis aut conſcribere, uel proferre, aut componere uel docere, aut aliquam poſt praeſentem definitionem, mouere quaeſtionem. Si quid uero de iisdem tribus capitulis contra haec, quae hic aſſeruimus, uel ſtatuimus, dictum atque conſcriptum eſt, uel fuerit, hoc modis omnibus, et AVCTORITATE SEDIS APOSTOLICAE, cui per gratiam Dei praeſidemus, refutamus.* tom. V. Concil. p. 375. add. Baluzii noua Collectio Concil. Tom. I. p. 1151. ſeqq. eique conſtituto Vigiliano ſedecim epiſcopi una ſubſcripſerunt. At non multo poſt, cum Imperator fidem, de condemnandis tribus capitulis, ab eo ſibi datam, et iureiurando confirmatam, non ſine periurii crimine, uiolari, indignaretur, et tantae leuitatis poenas Pontifici intentaret, minis eius commotus, Vigilius, acta ſynodi uiciſſim approbauit, eique, ut Euagrius lib. IV. C. 37. ſcribit, per literas conſenſit. Et has quidem Vigilii literas, *ad Eutychium, Archiepiſcopum Conſtantinopoleos, et omnem praeiacentem ſanctam ſynodum*, ſcriptas VI. *Idus Decembres, Imperii Domini noſtri Iuſtiniani, aeterni Auguſti, anno XXIV, poſt conſulatum Baſilii, V. C. an. XII*, atque adeo eodem anno,

anno, quo ſynodi acta, et trium capitulorum proſcriptionem, damnauerat, multi pro deperditis habuerunt, alii unquam extitiſſe, prorſus negarunt: at ſuperiori ſeculo Petrus de Marca eas e latebris eruit, et cum diſſert. ſua de Synodo V, in lucem edidit Lutetiae Pariſ. 1644. poſtea etiam Labbeus tomo V. Concil. p. 596. inſeruit. In his Vigilius, cum plurimos Theodori Mopſueſteni, Theodoriti, et Ibae Edeſſeni, errores notaſſet, ita deſinit: *Praedicta itaque tria impia capitula anathematizamus, et condemnamus, ſc. impium Theodorum Mopſueſtiae, una cum impiis eius ſcriptis, et quaecunque impie Theodoritus ſcripſit, atque etiam epiſtolam, quae dicitur ab Iba ſcripta fuiſſe, qua ſuperius dictae blaſphemiae profanae comprehenduntur.* Poſtea antiquat *conſtitutum* ſuum, et alia, quae pro tribus capitulis antea ſcripſerat: *quae uero*, inquiens, *aut a me, aut ab aliis, ad defenſionem trium capitulorum facta ſunt, praeſentis huius ſcripti noſtri definitione euacuamus.* Et hanc quidem ſententiae ſuae mutationem, Auguſtini, errores ſuos retractantis, exemplo tuetur, hoc modo praefatus: *ſi in omni negotio ſapientiae ratio poſtulat, ut id, de quo quaeritur, retractetur, neque pudori eſſe debet, cum ea, quae ab initio omiſſa, ſtudio ueritatis deinceps inueniuntur, in publicum eduntur, quanto magis Eccleſiaſticis diſceptationibus conuenit, eandem quoque rationem in illis obſeruari; praecipue cum manifeſtum ſit, Patres noſtros, et maxime beatiſſimum Auguſtinum, qui in diuinis Scripturis claruit, propria ſcripta retractaſſe, dictaque ſua correxiſſe, nos quoque ſimiliter illis exemplis inuitati, in controuerſia trium capitulorum ſupra memoratorum etc.* leg. tom. V. Concil. p. 595. Multo ampliorem Vigilii conſtitutionem, VII. Kal. Martii, a XXVII Imp. Iuſtiniani, et XIII. poſt Conſulatum Baſilii, h. e. d. XXIII. Febr. anni 556. datam, in re ipſa cum priore illa conſentientem, edidit Baluzius, in noua Collect. Concil. p. 1551. Et haec conſtitutio, licet Vigilio Papae tantum non ui extorta, publicam deinceps auctoritatem obtinuit, adeo, ut qui poſtea concilium Conſtantinopolitanum, aut trium capitulorum condemnationem in eo factam, improbarent, a ſede Romana ſchiſmatici iudicarentur. leg. Noriſii Diſſ. de Synodo V, c. 8. et 9. ſeqq. et Fleury Hiſtoria Eccl. lib. XXX. c. 52.

(*d*) Victor Tununenſis, in Chronico ad annum 551, *poſt conſulatum Baſilii, V. C. anno X, Africani Antiſtites Vigilium, Romanum epiſcopum, damnatorem trium capitulorum, ſynodaliter a communione catholica, reſeruato ei poenitentiae loco, recludunt, et pro defenſione memoratorum trium capitulorum literas ſatis idoneas Iuſtiniano Principi per Olympium Magiſtranum mittunt.*

(*e*) Honorii Papae, iam anno 636. defuncti, memoria, ob defenſam haereſin Monotheleticam, in concilii CPtani, oecumenici VI, ſeſſione XIII. his

his uerbis damnata eſt: *Similiter autem et epiſtolam ab Honorio reſcriptam ad eundem Sergium*, (damnàmus) *basque inuenientes omnino alienas exiſtere ab Apoſtolicis dogmatibus, et a definitionibus ſanctorum conciliorum, et cunctorum probabilium Patrum, ſequi uero falſas doctrinas haereticorum, eas omnimode abiicimus, et tanquam animae noxias, execramur. Quorum autem impia execramur dogmata, horum et nomina a ſancta Dei eccleſia proiici iudicauimus, id eſt Sergii etc. Cum his uero ſimul proiici a ſancta Dei catholica Eccleſia, ſimulque anathematizari, praeuidimus, et Honorium, qui fuerat Papa antiquae Romae, eo, quod inuenimus per ſcripta, quae ab eo facta ſunt ad Sergium, quia in omnibus eius mentem ſecutus eſt, et impia dogmata confirmauit.* Quam ſententiam ipſi illius, et proximorum ſeculorum, Pontifices Romani, tantum abeſt, ut in majeſtatem ſedis ſuae iniuriam eſſe, putarint, ut ultro ratam habuerint et confirmarint. Diſerte Leo II, qui anno 684, atque adeo paucis poſt concilium illud annis, uiuere deſiit, in epiſtola ad Imp. Conſtantinum ſcribit: *anathematizamus noui erroris inuentores, nec non et Honorium, qui hanc Apoſtolicam eccleſiam profana traditione maculari permiſit*, idemque repetit in epiſtola II. ad epiſcopos per Hiſpaniam conſtitutos. Poſtea Hadrianus II, Pontifex Romanus, in ſynodo VIII, contra Photium habita, ita pronunciauit: *Honorio poſt mortem ab Orientalibus anathema dictum eſt, quia ſuper haereſi fuerat accuſatus, propter quam ſolam, licitum eſt, maiorum ſuorum motibus reſiſtere.* Eodem ſeculo Anaſtaſius Bibliothecarius Romanus, in uita Honorii II, de Concilio Cptano VI: *condemnati ſunt*, inquit, *in hac ſynodo Sergius, Cyrus, Pyrrhus, Paulus, et Honorius.* Conſentiunt Humbertus Cardinalis, Beda, Marianus Scotus, Cedrenus, et quam plurimi alii, nec quisquam ante Caeſarem Baronium, et Albertum Pighium, fidem rei, omnium ſeculorum conſenſu comprobatae, impugnare auſus eſt. Futiliſſimas autem horum rationes, quibus ipſa concilii oecumenici VI. acta, ob Honorii condemnationem, in falſi ſuſpicionem adducere ſtudent, inter ipſos Romanenſes Franciſcus Combefiſius ex inſtituto profligauit, in Diſſert. Apologetica pro Actis ſynodi VI, cum Hiſtoria haereſis Monotheletarum, edita Pariſ. 1648. Vnde et nouiſſimi inter illos Hiſtoriae Eccleſiaſticae ſcriptores Honorii condemnationem aſſerunt, et uelut rem extra dubitationem poſitam, memorant, ex quibus Iohannem Cabaſſutium, in Notitia eccleſiaſtica Conciliorum et Canonum, ad Sec. VII. p. 295. Natalem Alexandrum, in ſelectis Hiſtoriae Eccleſ. capitibus ad Sec. VII. Diſſ. II. et Claudium Fleurium, in Hiſt. Eccleſ. lib. XL. cap. XXII, exempli cauſa, nominaſſe ſufficiat.

(*f*) Recte Petrus Molinaeus de Monarchia temporali Pont. R. cap. XVII,

p. 252. *Papa*, inquit, *et eius adulatores commenti sunt nouum dogma, quo Patres omnes ueterum conciliorum stultitiae, et ridiculi stuporis, incusantur. Nam si Papa, loquens ut Papa, et de cathedra Papali, non potest errare in fide, quid attinebat, tam operosa, tantis sumtibus, concilia conuocare, et episcopos, per totum imperium Romanum, abstrahere a suis ecclesiis, per plusculos annos, qui in deliberando de rebus fidei insumebantur? cur non potius, simul ac enata erat aliqua controuersia, consulebant papale oraculum, et Pontificem his uerbis per epistolam compellabant: Supplices rogamus tuam sanctitatem, ut hanc controuersiam nobis enodet, et ad quaesita respondeat, non ut homo, sed ut papa, non quidem loquens e sede priuata, sed e cathedra pontificali. Haec sane uia fuisset longe compendiosior, imo et certior. Hoc quidem ignorauit antiquitas. Nam in conciliis legati episcopi Romani sententiam ferebant cum ceteris, et Pontificis sui fidem et sensum exponebant, in quorum sententiam non semper descendebatur, sed multa decernebantur inuitis legatis episcopi Romani, et contra obtestantibus, ut factum in synodo Chalcedonensi, et in Africana.*

(g) Ita Hieronymus, in Gal. V. *Spiritus S.* inquit, *doctrina est, quae libris Canonicis prodita est, contra quam, si quid statuant concilia, nefas duco.*

CONSPECTVS DISSERTATIONIS.

§. *I Barbariei, in religionem inuectae*, origo.
II Eiusdem epocha, *in Ecclesia occidentali.*
III in Ecclesia orientali.
IV amplitudo *restricta.*
V Hoc loco speciatim consideranda proponitur barbaries medii aeui in neglectu Scripturae sacrae *conspicua, tanquam fons omnium reliquarum religionis corruptelarum.*
VI quae orta est A. ex mutato sermone uernaculo, quo Scriptura S. olim scripta et lecta fuerat.
VII B. ex nouarum uersionum eius uernacularum suppressione, per interdicta Papalia, nominatim Hildebrandi, siue Gregorii VII.
VIII Innocentii III, et Concilii Tolosani.
IX Obtentus huius interdicti uanissimus, et religione Christiana indignissimus, ne scilicet fundamenta eius, in uulgus elata, uilescerent.
X C. speciatim apud clericos et doctores publicos, ex ruditate et ignorantia literarum.
XI D. ex pseudermenia, deprauatione, et illusione Scripturae S. allegorica, qua, ad arbitrium Pontificis Romani iniquissime detorta est.

XII *Noua fidei principia, in locum Scripturae S. ſubſtituta, cuiusmodi ſunt:* (I) Traditiones *nouae, pro antiquis uenditatae, ſigillatim in epiſtolis Pſeudo-decretalibus, praecipuo noui iuris canonici fundamento.*

XIII *quod uniuerſa Eccleſia Chriſtiana uetus ignorauit, et Graeca, ad hunc usque diem, nunquam agnouit.*

XIV *His tamen epiſtolis Latini, a medio aeuo, autoritatem diuinam et canonicam tribuerunt.*

XV (II) *Ficta* Pontificis Romani infallibilitas, *eique ſuperſtructa ſuprema fidei articulos conſtituendi, immutandi, et controuerſias de iis decidendi, poteſtas.*

XVI (III) *Philoſophia corrupta* Scholaſticorum.

XVII (IV) *nouae* reuelationes.

XVIII *Exempla huius barbariei, usque ad reſtitutae lucis Euangelicae tempora graſſantis.*

XIX *Reliquiae eiusdem poſt emendationem ſacrorum* (I.) *in lectione Scripturae S. plebi interdicta.*

XX (II.) *in poteſtate eam authentice, et pro lubitu, interpretandi, imo mutandi, Pontifici Rom. conceſſa.*

XXI (III) *in traditionibus cum Scriptura S. aequatis.*

XXII (IV.) *in infallibili, quae Pontifici Romano tribuitur, res fidei et religionis conſtituendi ac decernendi auctoritate, ſupra Scripturam pariter ac traditiones euecta.*

XXIII *Barbariei huius confutatio.*

XXIV Primum *ea ſecum ipſa pugnat.*

XXV Praeterea *uoluntati diuinae reuelatae, et* tandem *etiam conſtanti ueteris Eccleſiae religioni ac ſententiae aduerſatur. id quod ſpeciatim demonſtratur* (A) *de lectione Scripturae recens interdicta, contra mandatum Dei,*

XXVI *et contra morem ac ſententiam ueteris Eccleſiae Chriſtianae.*

XXVII (B) *de contemptu Scripturae Sacrae, quae eſt* (a) medium ſalutis, *ex Dei eam reuelantis intentione,*

XXVIII *et ex conſtanti ueteris Eccleſiae ſententia.*

XXIX (b) principium religionis, *ex praeſcripto Dei, in Veteri Teſtamento,*

XXX *ab Eccleſia Iſraëlitica ſancte obſeruato.*

XXXI *et ex inſtitutis Apoſtolicis, in Nouo Teſtamento,*

XXXII *a primitiua Eccleſia Chriſtiana ſancte obſeruatis: utpote quae ſolo uerbo Dei fidem et religionem ſuam ſuperſtruebat:*

XXXIII *traditiones, ut teſtimonium, minime uero ut principium fidei, Scripturae S. comparandum, uel adaequandum, admittebat:*

XXXIV *Infallibilem uero Pontificis Romani in rebus fidei autoritatem, ac deciſionem, prorſus ignorabat: imo ne conciliis quidem illam concedebat.*

S. D. G.

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Jan, Johann Wilhelm,

Diss. theol. qua barbariem medii aevi in contemptu Scripturae S. conspicuam, veteris ecclesiae religioni pariter ac divinae voluntati adversam ... proponit

Vitemberga 1721

4 Diss. 2529#Beibd.16
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10948083-0
VD18 14874806-001